Invida fata bonis,
Tempore quo poterat factis extendere famam
Uſque ad Hyperboreos;
Virtutem illius noviſſet Græcia. Sed quo
Progrederis temere,
Muſa? nefas parvis Heroum ingentia facta
Attenuare modis.

XXXIX.

EPITAPHIUM EJUSDEM.

Mantua Federici triſtis complexa cadaver
Exclamat: Non hæc eſt tua, ſed mea mors.

XL.

DE EODEM.

SI TE communis tangit jactura dolorque
Cæſaris, & miſeræ Mantuæ, & Italiæ,
FEDERICI tumulum ſicco ne lumine tranſi:
Cæſaris hic ſita ſpes, Mantuæ, & Italiæ.

XLI.

DE EJUSDEM EFFIGIE

In tabella picta, ad hoſpites.

HÆC, quam cernitis, hoſpites, imago,
Magni FEDERICI eſt decora imago,
Qui vixit ſine Mantuæ querela,
Fulſitque Auſoniæ nitens ut aſtrum.
Quam cum proſpicio, mihi beatus,
Et diis par videor: dies ſereni,
Terſi nubibus, omnibuſque ventis:
* Noctes lumine candido refulgent.
Recordatio tunc ſubit beata:
Vultus, lumina Principis recurſant;
Nec quicquam eſt adeo grave, aut acerbum
Quod cor diſcruciet meum, vel angat,
** Quin non leniat hæc benigna imago;
Dum curas animi levat moleſtas,
Conſpectuque beat ſuo videndo.
Quod ſi picta tabella talem habet vim,
Amabo, quid erat videre vivum?

XLII.

* *Et noctes mihi candida.*
** Quin: *plane in cod. & in manu edit.*

Digitized by Google

XLII.

Ad Illuſtriſſimum.

ALOYSIUM GONSAGAM MARCHIONEM.

ET merito es dignus laudari carmine magno,
Magnanime o GONSAGA: mihi ſed parva Camænæ
Carmina ſufficiunt; tua queis percurrere facta
Si coner, medio in curſu pede labar utroque.
Te tamen his paullum dictis affabor amicis,
Ut noſcas quo te venerer, quo ſecter honore.
(Abſit fœda meis procul aſſentatio verbis)
Namque tuæ quem non accendas laudis amore?
Cum prudens æqua perpendas lance tuas res,
Cumque aliquid ſemper mediteris principe dignum,
Ut patrium ſuperes geminata laude vigorem.
Tum, ne ingrata fluant tibi tempora, ſæpe fatigas
Venatu cervos; & equos torqueſque retorqueſque
In gyrum, blandaque manu moderaris habenas:
Aut aquilas liquidum carpentes aera pennis
Obſervas oculis, ſuperanteſque aſtra volatu:
Sæpe & captantes ad ſtagna liquentia mergos,
Aut deturbantes leporem de colle propinquo.
Militiamque pati jamdudum aſſuetus & arma,
Oppida præcingis muro; * tua mœnia vallas
Aggeribus, merito ut te hoſtes timeant, & amici
Obſervent. Belli caſus eventaque mente
(Quæ tua divina eſt, & ſemina ducit ab alto)
Proſpicis, ut longe venientes navita ventos.
Affigis populo leges, & jura miniſtras,
Tam recti juſtique tenax, ut amator honeſti.
Et quandoque placet gravioribus applicuiſſe.

* Nova.

Digitized by Google

Intentum ſtudiis animum, juvat alta vagari
Sidera, & immenſos cæli percurrere tractus.
Nonnumquam rerum gaudes perquirere cauſſas;
Et veterum volvis divina volumina vatum;
Ingenium oſtendens cunctis verſatile rebus.
Quodque tibi æternum pariet per ſæcula nomen,
Quod numero aſcribet ſuperûm, cæloque beabit,
Olim latrones furtis & cæde ſuperbos,
Præda exſultantes aliena, trudis ad Orcum,
Qui neque vim ſuperûm, aut mortalia juſſa timebant.
Heu pietas! tuto haud carpebant gramina pratis
Armenta, haud tuto ſeſe armentarius agris
Credebat: trepidi ſubigebant arva coloni:
Nec ſecurus erat taurus disjunctus aratro,
Nec poterat virgo tectis ſe efferre paternis.
Ah quoties nemore in medio, & convallibus imis,
Dum ſervat pecudes paſtor, dum vimine texit
Fiſcellam, aut dulci ſilvas demulcet avena,
Ingemuit ſubitis actos incurſibus hædos,
Ploravit miſeris raptos cum matribus agnos!
Talis Aventino vaccas in monte trahebat
Averſas Cacus, quem quondam maximus heros
Alcides ſaxis & duro robore preſſit.
His tibi pro meritis, LUYSI juſtiſſime, (poſtquam
Non opis humanæ eſt) dii præmia digna rependant,
Teque diu ſervent terris non invida fata,
Si incenſas pietate preces bona numina curant.
Salve igitur, decus Heroum, quo vindice tellus
Itala ſe & tanto ſemper jactabit alumno,
Et felix cælo ſolitos æquabit honores:
Sed nunc in primis, dum tu pro Cæſare magno
Avertis Gallum campis Inſubribus hoſtem.

XLIII.

Digitized by Google

XLIII.

DE GERMANIS

Apud Cereſolum occiſis.

DUM pro Cæſare, pro focis, & aris
Loco dimicat atque Marte iniquo,
Rheni & Danubii juventa cultrix,
Inſubrum prope Cereſolia arva,
Gallorum cecidit manu peremta.
Decoræ tamen eſt necis levamen,
Quod Gallo haud fuit incruenta palma.
Victrix Gallia dimicâſſe nollet.

XLIV.

DE VICTORIA MARCH. PISCARIÆ.

HÆC VICTORIA, noſtra qua ſuperbit,
Quaque huic longe alia invidebit ætas.

XLV.

DE AMPLISSIMO HERCULE GONSAGA

Card. Mantuæ.

ODE.

HERCULEM dicat chorus omnis: omnis
Laudet ALCIDEM chorus, & juventus
Integra applaudat, puerique cantent
Ordine longo,
Pulchra quos Manto mediis ab undis
Urbe præcincta fovet educatque.

Digitized by Google

Conſonet plauſu nemus, & reſultent
Litora Minci.
Tuque (nam divûm atque hominum recenſes
Barbito æternans monumenta, Clio)
Linque Parnaſſi nemus, & ſuperbi
Verticis antrum.
Collibus paullum, dea, Caprianæ,
Siſte, ubi æſtivum recreat calorem
Ventus, & leni crepitans ſuſurro
Sibilat alnis.
Maximi Alcidæ cane tam beatas
Ingenî vires, animique dotes:
Dic ut ornârit ſimulacra, quondam
Pulvere tætra.
Macte virtute, invidiæque victor;
Surgit, attollens caput inter aſtra,
Arbor ut propter fluvium educata
Divûm in honore,
Dum nihil ducis propius tibi eſſe,
Quam decus priſcum renovare templis,
Quam laboranti auxilium referre
Religioni.
Herculis nomen veneratus alto
Vertice aſſurgat Padus amnium rex,
Populo albenti, ſalicisque glauca
Fronde revinctus.
Ille diis acceptus, honore ſacro
Dignus adſcribi numero deorum,
Aureis ſæclum & roſeum galerum
Moribus ornat.
Herculis magni auſpiciis videre eſt,
Omne queis fas atque nefas licebat,
Nunc refrenatos, vitio interemto, incumbere honeſto.

Nunc

Digitized by Google

Nunc pium ſanctumque ſuopte regno
Imperat; cælum, hoc dominante, terris
Invidet; nam Aſtræa, vocante, cælum,
HERCULE, liquit.
Nunc refloreſcunt facie decenti
Gratiæ, & jam plus ſolito renidet
Æther: Ocnæa ſpatiatur urbe
Candida Virtus.
Ut Canis campos ſitiens hiulcat
Quum, nemus raucæ reſonant cicadæ,
Herba langueſcit, pluvio Jovique
Supplicat arbos:
Forte ſi cælo placidus cadat ros,
Frigeranſve aura, aut Zephyri ſalubres
Halitus perflent; redit humor, omnis
Terra vireſcit.

XLVI.

AD EUMDEM.

INVICTUS quondam Alcides, Tirynthius heros,
Monſtra pererrato ſuſtulit orbe fera.
Unde illi grata & ſupplex poſt fata vetuſtas
Templa, aras, ſtatuas conſtituere deo.
Macte animo, ALCIDE, GONSAGÆ clara propago,
Herculis invicti nomen & acta refers.
Et majora facis; nam juſtæ verbere clavæ
Monſtra necas, vitiumque & ſcelus omne fugas.
Tu renovas faciem, & lacrimas detergis, amatæ
Tu libertatem reſtituis patriæ.
Tu vaſtatores urbis ſub Tartara trudis,
Prædonem gaudes perdomuiſſe bovem.
Quid tibi quid tali pro munere Mantua reddet?
Præſens & vivus Numinis inſtar eris.

XLVII.

Ad Illuſtriſſimum Antiſtitem Tridentinum

CHRISTOPHORUM MADRUTIUM.

ODE.

MAGNE MADRUTI, venerande paſtor,
* Ne gregem, ne nos miſeros relinque:
Nec tibi tanti ſit adire magni
Nominis Hiſtrum;
Cælum ubi æternis nivibus rigeſcit,
Atque hiems informis aquas ab atra
Nube diſſolvit, furit æſtuoſo
Sidere Orion.
Cæſares quamvis adeas, & orbis
Lumina, exoptant tua qui videre
Ora, queis plauſu excipiere, multo
Non ſine honore;
Non tamen cari fugiat popelli
Cura, quem nutu moderaris, & jam
Legibus ſanctis renovas, ſacroque
Nectare paſcis.
Te ſine, inſano trepidant tumultu
Teſqua: tu præſens pecudes inermes
Ore defendis rabido luporum, ar-
mentaque ſervas.

XLVIII.

DE EODEM.

INCUSTODITAS linque, o Galatea, capellas,
Incuſtoditum, Tytire, linque pecus.

M a-

* *Ne Tridentinum populum.*

Digitized by Google

MADRUTIUS cuſtodit oves, cuſtodit & agnos
Paſtor; & a ſtabulis jam lupus omnis abeſt.

XLIX.

DE EODEM.

NEscio quid majus Jano qui cernere geſtit,
MADRUTÎ videat Principis ora mei.
Ille bifrons: canam hic juvenili in pectore mentem.
Inque uno ætatem corpore utramque gerit.

L.

AD EUMDEM SUB PERSONA ALTERIUS.

DEBEO, MADRUTI, vitam quam denique vivo
Ipſe tibi, aut ſi quid vita mihi carius ipſa;
Quod mihi pauperiem miſero curaſque levare,
Afflictiſque modum voluiſti imponere rebus:
Quod mihi reſtituis dilecti templa Lomaſſi,
Ruraque colleſque & piſcoſi flumina Dalli.
Hic per te dulces licet excoluiſſe Camænas,
Et quandoque animum gravioribus applicuiſſe
Intentum ſtudiis. per te mihi nôſſe latentes
Naturæ cauſſas datur, & percurrere cælum.
Ergo hic arbutea multo poſt tempore in umbra
Vitabo æſtivum ſub iniquo ſidere Solem,
Grata ubi vicinis ſpirat de vallibus aura
Ad ſacros latices, ad ſacri numina fontis,
Lenis ubi Zephyrus crepitantes percutit alnos,
Invitans placidum jucundo murmure ſomnum.
Aut cum ſe autumnus pomoſis efferet arvis,
Purpuream oſtentans ramis canentibus uvam,
Poma feram calathis & viminea fiſcella:
Munera parva quidem, aſt animum teſtantia magnum.

Mox

Mox ubi triſtis hiems nubes depaſcet aquoſas,
Per juga Myſonis ſummi, mala frigora lignis
Fagineis, quernisque nives ſuperare licebit,
Annoſoque mero, quod rura Droentia donant,
Et colles & vitiferi juga parva Clarani.
Vere novo ad volucrum cantus aderis, nova proles
Muſarum. tibi mille feram de more coronas
Emeritas lauri: has intexam flore recenti,
Pallenti viola, calthaque, & ſuavibus herbis,
Quas montes, quas ſufficiunt pro tempore prata.
Ipſe ego ſacra feram pro te: te ſemper ad aras
Et memorare velim: nec me meminiſſe pigebit.
Tunc Volaterranus, juvenum flos quotquot amœna
Arnus aqua rigat, aſſuetos cantabit amores
Tuſcis ſæpe modis, Romana ſæpe Thalia:
Et modo Ariſtotelis præclara volumina volvet,
Concilians illi divina mente Platonem.
Nec non Arcitenens aderit, qui Numinis inſtar
Te colit: hic mixtus Faunis tibi carmina culta
Afferet, Archenſi revocans de vertice Muſas
Olim intermiſſas. nam quis tibi ferre recuſet
Carmina tam claro juveni? qui moribus aureis
Germanos inter proceres pubemque Latinam
Eluces veluti inter ſtellas Luna minores.

L I.

De Partu Illuſtriſſimæ

MARGARITÆ AUSTRIACÆ FARNESIÆ.

MARGARITE geminos partu dedit AUSTRIAS uno,
OCTAVÎ ſobolem progeniemque deûm.
Scilicet ut tellus, quanta eſt, deſerviat uni:
Alter ut imperium vindicet Oceani.

LII.

Digitized by Google

LII.

DE ILLUSTRISSIMIS PRINCIPIBUS GONSAGIS.

NI ſuper ALCIDES nobis GONSAGA fuiſſet
Poſt matris, divi fratris & interitum:
Et ni FEDERICI ſoboles tam clara niteret,
Quæque omni digna eſt MARGARITE imperio;
Dixiſſem: Deſerta vale jam Mantua, poſtquam
Femineum atque virile omne decus periit.

LIII.

AD TRIDENTUM.

QUOD tibi ſint arces, Atheſis tua mœnia lambat,
Quod ſit ager Baccho fertilis & Cerere,
Vicino ridere potes de colle, TRIDENTUM,
Et ſuperis grates ore referre pio.
At tibi quod centum ſint templa, altaria centum,
Omnia plena ſacris, omnia fœta Deo,
Juſtitia & felix placida quod pace fruaris,
Temporibus noſtris quæ profuga orbe fuit,
Id CLESÎ munus: beat hoc te, ipſumque fatetur
Demeruiſſe homines, demeruiſſe deos.

LIV.

AD ILLUSTRISSIMUM FERDINANDUM

GONSAGAM PROREGEM SICILIÆ.

I, DECUS Auſoniæ & GONSAGÆ invicta propago,
Cæſaris auſpiciis felix, i ſidere dextro:
Macte animo, macte ingenio, & præſtantibus auſis,
FERNANDE, & pro tutandis communibus aris,
Pro

Pro laribuſque fociſque, æternos victor honores
Appropera, evinctus vivaci tempora lauro,
Et refer optatos patriæ de more triumphos.
Ecce tibi ut niveis ſeſe Victoria pennis
Oſtentat, ſigniſque elata inſidit apertis:
Ut modo caſtra volat circum: en tibi carmine certo
Phœbus iter fauſtum & divos prædicit amicos,
Sic orſus: FERNANDE, tua ſub cuſpide Parthus
Ipſe cadet confiſus equis & milite multo,
Biſque colorabit ſcelerato ſanguine flavum
Danubium: nec vitiferam vidiſſe Viennam,
Pannoniæ aut vellet fines tranſiſſe ſuperbus.
Barbarico Æmathii pingueſcent ſanguine campi.
Oceanum inficient ſpumantia flumina tabo.
Quanta vorabit atrox inhumata cadavera vultur!
Mox orbata viros plorabit Theſſala tellus,
Græciaque incomto divellet vertice crines.
Regnatorem Aſiæ ſolio exturbabis ab alto,
Nec teget inſtructis Turcarum exercitus alis.
Quali te amplexu excipiet tunc Cæſar, & ille
Cæſaris armipotens frater! tibi qualia PAULLUS,
Relligione deûm ſervata, hominumque ſalute,
Dona feret! quanto applauſu Germana juventus
Quum tibi victori templum immortale ſacrabit,
Mantuaque exſultans referet tua nomina cælo!
Hic tacuit, crepuitque lyra non falſus Apollo.

L V.

† DE TRIBUS DECIIS.

TRES DECII Romæ naſcuntur. Numina, naſci
Jure illos alio non voluere loco.

Sed

† *Ex Aldina Carminum collectione anni* 1533. *in* 8. *pag.* 91. Vulpius.

Sed dum ſe patriæ ſic devovere, videntur
Nec melius naſci, nec potuiſſe mori.

LVI.

AD RUINAS ROMANAS

† *Ex Italico Balthaſſaris Caſtilionei.*

EXCELSI colles Urbis, ſacræque ruinæ,
Queis Romæ nomen vix tenuiſſe datum eſt,
Heu quas relliquias, quæ corpora clara parentum
Clauditis, & veterum quæ monumenta virûm!
Voſque triumphales, procerum decora alta, columnæ,
Jam veſtra in cineres gloria verſa jacet:
Veſter honos vili jamdudum fabula vulgo eſt,
Et denſa antiquum contegit umbra decus.
Iccirco ſi tempus edax opera omnia ſolvit,
Ætas ſi rabido ſingula dente rapit;
Hos etiam noſtros ſpero finire dolores:
Hiſque dabunt curis tempora longa modum.

---

† SONETTO DEL CASTIGLIONE

eſiſtente a carte 326. delle Opere di lui tutte ſtampate dal Comino.

SUPERBI *colli, e voi ſacre ruine,*
Che'l nome ſol di Roma ancor tenete,
Ahi che reliquie miſerande avete
Di tant'anime eccelſe e pellegrine!
Coloſſi, archi, teatri, opre divine,
Trionfal pompe, glorioſe e liete,
In poco cener pur converſe ſiete,

E fa-

E fatte al vulgo vil favola al ſine.
Così, ſe ben un tempo al Tempo guerra
Fanno l'opre famoſe, a paſſo lento
E l'opre e i nomi il Tempo invido atterra.
Vivrò dunque fra' miei martir contento;
Che ſe 'l tempo dà fine a ciò ch' è in terra,
Darà forſe ancor fine al mio tormento.

† JOHANNIS FIAMMINGO JUNIORIS.

EN domitæ colles urbis, ſacræque ruinæ,
Quæ veteris Romæ nonniſi nomen habent.
Aſt ubi tantorum miſeranda ſorte virorum
Relliquiæ! leto corpora fuſa jacent.
En pompæ celebres, arcus, ſacra arte coloſſi,
En, ſed marmoribus nuda theatra ſuis.
Cernite, ut in modicos cineres ſint omnia verſa,
Vilis & externo fabula ſint populo.
Sic licet adverſum monumenta celebria tempus
Bella gerant, aliquo tempore victa cadunt;
Nec modo res ipſæ taciturnis paſſibus ævi,
Ipſa ſed & rerum nomina trita jacent.
Ergo ego, triſtitiaſque meas, interque dolores
Contentus dura ſorte libenter ero:
Nam ſi cuncta ſuo conſumunt tempora curſu,
Et finem noſtris illa dabunt lacrymis.

† Ex Elogiis Antonii Beffa Negrini c. 110.

FINIS

LIBRI PRIMI.

Digitized by Google

ADNOTATIONES

IN LIBRUM PRIMUM.

III. JUlia ex Marchionibus *Gonſaga*, *Franciſci* Nubolariæ Comitis filia, Poetam, ut ipſe ait, innumera, ſed vere octona prole beatum reddidit, cuius maximum decus *Scipio* fuit paternæ eruditionis, ac omnis generis virtutum amator non indecorus, & litterarum, & militiæ ſplendor : tum *Livia* & *Æmilia* non ultimæ virtutis fæminæ.

IV. De hoc Auctoris noſtri itinere, lege quæ jam adnotavimus ad calcem ejus vitæ.

VI. Vide quæ diximus ibidem.

VII. Maxima anno 1512. ubique peſtilentia graſſante, non tantum Civitas, & omne Veronenſe agrum devaſtatum eſt, verum etiam Tridentinæ Alpes, & Benacenſes. De hac divinis carminibus ſcripſit *Fracaſtorius* in *Siphillide*.

VIII. *Oſanna Andreaſi* Mantuæ 1449. nata D. *Dominici* regulam tertii Ordinis ibidem inſtituit, & morum integritate, & miraculis ſplendida, Leonis X. auctoritate in Beatorum numero relata eſt; inde Mantuæ colitur.

IX. Italia, & tota ferme Europa triginta annorum bello vaſtata, pax maxima in *Crepini* Arce firmata eſt inter *Carolum* V. Imperatorem, & *Franciſcum* I. Galliarum Regem anno 1544. In fine vero hujus Ode ad gravem illam *Arquenſium* conſpirationem alludit, de qua ſupradiximus.

X. *Joannes Federicus Saxoniæ* Dux, & *Philippus Landgravius Haxiæ* maximum contra *Carolum* bellum pararunt anno 1546., in quod totæ fere Germaniæ Urbes *Lutheri* doctrinam ſectantes *Scamaldico* fœdere junctæ conſpirarunt. Poeta vero Cæſari hac Ode auſpicatur victoriam, quæ prophetico veluti ore *Landgravio*, & *Theutoni* cladem prænuntiat. Hæc autem ſcripta eſt in agro Arcenſi ubi fluviolus *Hydroelles* excurrit : oritur enim in monte prope caſtrum

Then-

Thenni, & Cænobium vulgo *della Madonna delle grazie* alluit, & in Sarcam evolvitur.

XI. *Carolus* V. Vienna a *Solimani* obſidione liberata anno 1532. Italiam reviſit; de hoc ejus ſcilicet adventu canit *Poeta*, cum *Rhodon* inſula jam expugnata fuiſſet, & bellum undique in Oriente Cæſar contra Turcas pararet.

XII. *Ferdinandus* Bohemiæ, & Hungariæ Rex *Caroli* V. frater in *Colonienſi* conventu anno 1531. Romanorum Regis nomen, & poſtea *Acquiſgrani* coronam accepit. Is Viennam ab inſidiis *Solimani* ſequenti anno ſtrenue liberavit, tota favente Germania.

De *Leonardo Velſio* dicenda ſunt Lib. II. n. 35.

XIII. *Ferdinandus* Rex Romanorum de quo ſupradiximus ex *Anna Ludovici* Bohemiæ, & Hungariæ Regis ſorore quindecim filios ſuſcepit.

XIV. *Franciſcus* I. Gallorum Rex multa contra *Carolum* V. in Italia, Gallia, & Germania bella gerens ſtrenui Ducis officium, & nomen adeptus eſt: cum vero adverſo ſæpe Marte pugnaverit, prudentia & virtute *fatum inexpugnabile vicit*; ut noſter canit Poeta.

XV. *Federicus Franciſci Gonſaga* Marchionis Mantuæ filius a *Carolo* V. Imperatore primum Ducis nomen accepit. Is a *Leone* X. Pont. Max. Romanæ Eccleſiæ Dux conſtitutus *Mediolanum* cepit, & dum vigeſimum primum ſuæ ætatis annum ageret in obſidione *Papiæ* contra *Franciſcum* I. Galliæ Regem fortiter pugnavit. *Marius Equicola* ad Templum *Sanctæ Mariæ Gratiarum* in Mantuano ſuburbio hoc in ejus laudem Epigramma poſuit.

„ Celta ferox, Venetus prudens, Helvetius atrox
„ Milite Ticinum vinxerat innumero;
„ Ære cavo ignivomis pila ferrea concita bombis
„ Fulminis in morem mœnia diruerat;
„ Defenſor *Federicus* adeſt *Gonſaga* ſecundus,
„ Hic foſſa, hic vallum, ſolus hic agger erat:
„ Ergo ſervato tanto Duci Io ingeminamus
„ Et Mariæ hoſtiles ponimus hos globulos.

Marii Equicolæ in obſidione Papiæ IV. Idus Aprilis 1522. Votum.

Rhodon

Digitized by Google

Rhodon inſula a *Solimano* Turcarum Principe expugnata fuit, cum anno 1522. inclitæ illius Religionis Magiſter eſſet *Franciſcus Villadam* Gallus: hinc ejus recuperandæ honorem *Federico* pie auguratur Poeta.

XVII. *Manto*, *Thireſiæ* Thebanorum Regis filia, poſt patris mortem, *Creontis* tyrannidem & patriam fugiens, multis errata periculis Italiam petiit, & ex *Tiberino* *Ocnum* genuit. *Ocnus* vero, non *captis* ut mos erat *auſpiciis*, ſed materno nomini conſulens Urbem quam condiderat, *Mantuam* appellavit: ſic *Dantes*

E per colei che prima il luogo eleſſe
Mantova l' appellar ſenz' altra ſorte. (*inf.* 30.)

Regnante vero *Federico* Mantuæ I. Duce anno 1524. Civitas ad ſeptentrionis partem muro vallata eſt, ut inſcriptio docebat, quæ paucis ab hinc annis diruta eſt.

XVIII. *Veronica Gambara Giberti* Corrigiæ Domini uxor, cum multis eſſet inſtructa litteris, tum maxime Poeticen excoluit. De ea ſatis erudite diſſerit *Felix Rizzardi* in elegantiſſima ſuarum Operum editione *Brixiæ* 1749. Ad hoc venuſtiſſimum illius Epigramma Poeta alludit:

Là dove più con le ſue lucid' onde
Il picciol Mella le campagne inſiora
De la mia Patria, e che girando onora
Di verd' erbe e di fiori ambe le ſponde;
Al gran nome real che copre e aſconde
Le noſtre glorie, e quelle antiche ancora;
Farò un tempio d' avorio; e dentro e fuora
Mille coſe vedranſi alme e gioconde.
Starà nel mezzo una gran Statua d' oro,
E dirà il titol : Queſt' è Carlo auguſto,
Maggior di quanti mai ebber tal nome:
D' intorno i vinti regi, e al par di loro
Fuggir vedraſſi il Turco empio ed ingiuſto,
Giungendo a' ſuoi trionfi altere ſome.

XIX. *Portia*, *Alexandri Gonſaga*, & *Hyppolitæ Sforzæ* filia.

XX. *Franciſcus*, Patri *Federico* primo Mantuæ Duci jam mortuo, ſuffectus eſt anno 1540., cum ſeptimum ætatis annum ageret.

XXI. *Iſabella Eſtenſis* mater, & *Federicus Gonſaga* filius Dux Mantuæ, vicina morte obierunt. De his fortaſſe canit Poeta.

XXII. *Adrianus Campeggi* Bononienſis Cardinalis, Commiſſarius Imperialis, Arbiter compromiſſarius electus eſt ab *Andrea* & *Odorico* Comitibus fratribus de *Arco*, in eorum jurisdictionibus, boniſque dividendis. Ejus, ut vocata eſt, ſententia prolata eſt anno 1512., cum Auctor noſter trigeſimum tertium annum natus eſſet, atque eo ferme tempore ſcriptum fuit hoc Hendecaſyllabon, nam ſequenti carmine *Julii* II. *Pontificis* mortem optat *Adriano* huic. *Julius* vero diem obiit anno 1513. *Adriani* Poemata, queis titulus *Venatio*, & *Iter Julii* II. *Pontificis*, *Gryphius* edidit.

XXIV. *Franciſcus Maria Feltrius dalla Rovere* terreſtrium Reipublicæ Venetæ copiarum Imperator, adverſa jam valetudine correptus, & bellicis muneribus adeundis nequaquam idoneus, ſuo in *Urbini* Ducatu moritur anno 1538. *Is*, ut *Mauroceni* verbis utar, *ſua tempeſtate militari diſciplina, ac rebus a ſe geſtis clariſſimus, egregiis in Rempublicam meritis, ac ſumma fide, magna eſtimatione a Venetis habitus eſt; & quindecim annorum ſpatio bello, ac pace Reipublicæ operam navavit*. *Joannes Baptiſta Leoni* Venetus egregii hujus Ducis vitam ſcripſit, de qua conſule *Fontanini Bibliot. Italian.* & *Apoſtolum Zeno* in *not.*

XXV. *Carolus* V. Imperator, tum anno 1530., tum 1532. apud *Federicum*, & Mantuæ fuit. Suſpicari licet eo temporis *Federicus* Cæſari parmam donaſſe, de qua canit Poeta.

XXVI. *Hannibal Gonſaga*, *Joannis Nubolariæ* Comitis filius, apud *Franciſcum* I. *Galliæ* Regem fortiter in bello Italico pugnavit & clariſſimam mortem oppetiit.

XXVII. *Iſabella Eſtenſis*, *Franciſci* IV. Mantuæ Marchionis conjunx, anno 1539. occubuit. *Federicum* Mantuæ I. Ducem, *Herculem* Cardinalem, & *Ferdinandum* genuit, quos laudat Poeta.

XXVIII.

Digitized by Google

XXVIII. *Federicus* Dux Mantuæ I. anno 1538. e *Margarita Paleologa Guillelmum* filium ſecundum habuit, qui, primogenito fratre mortuo, regnum poſtea adeptus eſt. *Montisferrati* autem ditionem, extincto patre *Georgio*, obtinuit *Margarita*, inque eam ditionem *Gens Gonſaga* Imperatoris decreto confirmata eſt.

XXIX. *Bernardus Baro de Cles* Tridentinus Epiſcopus tantum habuit a natura ingenii, ut fere ſine litteris maximam ſibi gratiam apud Imperatores *Maximilianum* I., & *Carolum* V. comparaverit. Is ſecundo *Nemetenſi* conventu præfuit Catholicæ Relligioni adverſus novatores apprime utilis, *Ferdinandi* Romanorum Regis præſentia, & auctoritate adjutus. *Clemens* VII. eum in ampliſſimum Cardinalium ordinem cooptavit. De ejus in Patriam reditu gratulatur *Poeta*.

XXX. *Helena* ex Comitibus de *Thunn*, uxor *Caroli Madrucci*, multis fuit ſpectanda virtutibus: hæc *Nicolaum* genuit *Dinæ Archiæ* maritum, de qua vide *Mazzucchelli Vite degli Scrittori Ital.*

XXXIV. *Ludovicus* Co: de *Lodron*, *Caroli* V. Dux, ſtrenue contra Turcas pugnando fama inclitus occubuit; *Urſulamque* Baroniſſam de *Cles* viduatam reliquit. Hæc ſecundis nuptiis *Caroli* Co: *Archii* uxor fuit. De eo vide *Domenichi Varia Iſtoria*.

XXXV. *Chriſtophorus Madrucci* Tridentinus Litterarum cultor Patriæ ſuæ Epiſcopatum habuit, & Cardinalis a *Pio* IV. enuntiatus, antonomaſtice *il Cardinal di Trento* vocatus eſt. Omnibus vero ſui ævi ſcriptorum vocibus collaudatur. Vallis Rendenna, cui maxima Plebs ad Sarcam nomen impoſuit, judicariæ pars eſt. De ea frequentiſſime in antiquis Documentis. Ponitur etiam a *Magino* in Tabula XXXI.

XXXVI. *Hernandus Avalus Piſcariæ* Marchio, *Victoriam Colonna* lectiſſimam fœminam uxorem habuit. Is pro *Carolo* V. in *Ravennati* & *Ticinenſi* bello fortiter ſe geſſit, multiſque clarus triumphis obiit anno 1525. Vivit tamen Hiſtoricorum, & Poetarum ſcriptis.

XXXVIII. Anno 1540. *Federicus* occubuit, & de eo vide quæ ſupradiximus. Palatia, vulgo di *Marmirol e del The*, *Julii Romani* auxilio nobilius etiam dita-

vit, & generoſiſſimum equorum genus, totaque Europa celebratum poſt *Franciſcum* patrem aluit ſumma cura.

XLII. *Aloyſius Gonſaga*, vulgo *Rodomonte*, *Sablonetam* ſui Comitatum mænibus cinxit anno 1529. De eo vide, quæ adnotantur Lib. III. eleg. 1.

XLIII. *Cereſolum*, vulgo *Ceriſola*, pagus eſt prope *Albam Pompeiam* in Comitatu *Aſti Montisferrati Sabaudienſis*. Maximam ibi Germani a Gallis cladem acceperunt anno 1544.

XLIV. *Victoria Colonna*, fœmina ſatis laudata, Muſas omnes coluit, meruitque ut de ea canerent ſui ævi Poetæ.

XLV. *Herculem Gonſaga*, Mantuæ Epiſcopum, in S. R. E. Cardinalium album retulit *Clemens* VII. anno 1527. Dum ſummi Pontificis Legatus eſſet, ad Tridentinum Concilium, occubuit anno 1563.

XLVII. *Chriſtophorus Madrucci*, de quo ſupra, *Caroli* V. Imperatoris opera Cardinalis electus, tanti beneficii haud immemor multa pro eo negotia ſuſcepit. De ejus ad Viennam itinere, quo Regia Domus convenerat, noſter hic loquitur *Arcbius*.

L. Multa in hoc carmine Tridentini agri ab Auctore loca enumerantur, quæ cum lectoribus cognita haud eſſe ducerem, paucis deſcribenda putavi. In hoc autem multum uſus ſum opera clariſſimi atque amiciſſimi viri equitis *Joſephi Valeriani Vannetti*, mihique valde profuit *Joſephi de Spergs* diligentiſſima *Tridentina Topographia*.

Lomaſſus. *Lomas*. Plebs eſt, & multarum gentium caput in *judicaria*: ibi *Spinedi* Caſtrum ex Auctoris Dynaſthia.

Dallus. Hoc nomine fluviolum in *judicaria* nunc *Doina* appellatum intelligimus. Solus enim per *Lomaſſia* rura duplici rivo excurrens, tandem ad *Sarcam* uno amne properat.

Myſon. Mons eſt ad lævam *Sarcæ* contra *Arcum*, quem prope pagus eſt eodem nomine: de eo etiam in *Tabulis Maginianis*.

Drò, *Ceniga*, & *Petra Murata*. In Comitatu *Arci Droentia rura conficiunt*.

Cla-

Digitized by Google

Claranum vulgo *chiaran*. Prope *Arcum* cum *Varegnano*, & *Vineis Romarzoli* Plebem conſtituit.

Raphael Volaterranus ſuos *Urbanos Dialogos Julio* II. *Pontifici* inſcripſit. Hunc laudat *Jovius* in *elogiis*.

Arcitenens, ideſt *Nicolaus* ipſe noſter *Archi Comes*.

LI. *Margarita*, *Caroli* V. Imperatoris filia, *Alexandri Medici* Magni Hetruriæ Ducis viduata, *Octavio Farneſio Parmæ*, & *Placentiæ* Duci nupta eſt.

LIV. *Ferdinandus Gonſaga*, *Franciſci* IV. Mantuæ Marchionis filius, cum in Hiſpanico, & Italico bello pro *Carolo* V. Imperatore multa geſſiſſet, ab eo Siciliæ Prorex creatus eſt. Hinc contra Turcas in Viennenſi obſidione arma ſumpſit. Poſt multa egregia facta, inſuper *Carolo* Imperatori, & *Franciſco* Galliæ Regi conciliatis, & pace inter eos firmata, Neapolim ſe contulit, ibique uxorio nomine *Arriani* & *Molfettæ* Ducatibus præfuit. Noviſſime, bello orto inter *Paullum* IV. *Pontificem*, & *Philippum Siciliæ* Regem, pro ſuo Principe fortiter dimicavit, quem poſtea ſecutus in Belgica expeditione, ad *Bruxellas* vita ceſſit anno 1557.

NICOLAI ARCHII
COMITIS
NUMERORUM
LIBER II.

I.

SALUTAT PONTANI EFFIGIEM.

SAlve, magne ſenex, cui tam felicia cæli
Sidera fulſerunt * riſit & Uranie:
Cui ſeſe Natura parens in lumine claro
Quanta eſt, cui totum ſe patefecit Amor;
Salve. nulla tuos inhoneſtent ſæcula vultus
Nec caries formæ ne noceatve ſitus:
Nec frontem turpet pulvis canoſve capillos,
Sed viva æternum ſit color in tabula.
Quam modo TUTIANI plus uni oſtendere ſæclo
Auſa eſt, invito tempore, docta manus.
Teque hoſpes quo non melior virtutis alumnus
Incolit Ocnæi regna beata ſoli,
Flore novo variiſque ornet pro tempore ſertis,
** Nectens puniceis alba liguſtra roſis;
Vivaceſque hederas *** immortaleſque amaranthos
Præmia honorato digna ferat capiti.

Nos

* *Fulſit.*
** *Addat & implexis lilia odora roſis.*
*** *Atque intactos.*

Digitized by Google

Nos tibi pro meritis, pro doctæ munere chartæ
Texemus facili carmina juncta pede.
Seu me colle humili aſſurgens Capriana tenebit,
Seu patrio excipiet Sarcias unda ſinu,
Adveniam Minci ripam, lætuſque ſacellum
Conſtituam, & votis mixta ego tura feram.
Nec te tum pudeat mecum illic, STROZZA, ſub alno
Propter aquam herboſo ponere membra ſolo;
Illic ingratis ubi dulces ſolibus umbras
Porrigit alta ſalix & ſaliunca frequens.
Ipſe canes: vocem nemorum ingeminabit imago:
Garrula populeis obſtrepet aura comis.
Ipſe canes, tollens PONTANI nomen ad aſtra:
Miſcebit liquido gutture carmen olor.
Tunc aderit GONSAGA, aderit de more CALANDRA,
Aonidum pleno qui levat amne ſitim.
Tu Latiis, PONTANE, modis, cantabere Tuſcis,
Quales dant gemini, docta caterva, LUPI.
Qualibus aſſiduos MARNUS meditatur amores,
Aut Veneris PRETUS bella proterva canit.
BATTUS & ipſe tui ſtudioſus nominis, aras
E vivo ſacras cæſpite tollet humo;
Inſtituetque tuo dictos de nomine ludos:
Illic fundet ovans ruſtica turba merum:
Invergetque aris ſpirans beneolentia * fraga
Antiqua e patera fagineoque ſcypho.
In numerum ducet choreas viridante ſub ulmo
Artifices Hyale docta movere pedes.
Feſtini circum pueri mixtæque puellæ
** Caſta incompoſitis verba canent numeris:
Et velut Andini dant munera certa nepotes
Vergilio; tibi ſic annua vota ferent.

* *Fragra.*
** *Certa.*

Pontanum liquidique lacus valleſque ſonabunt;
Mincius & tremulis * cinctus arundinibus.
At pater Eridanus Stellæ haud oblitus amorum
Afferet ipſe ſua ſuccina lecta manu.
Audiet hos longe felix Sebethus honores,
Et lætus tumidis in mare curret aquis.

II.

DE EJUSDEM TABELLA.

Hospes, bis vivi effigiem poſt fata poetæ,
Pictoris doctas & venerare manus.
** Namque ſuis chartis ſemper Pontanus in ore
Eſt hominum, inque oculis eſt ope Tutiani.

III.

DE EADEM DIALOGUS:

† *Ad Co. Nicolaum Maphеum.*

Quænam hæc effigies? Pontani. Anne ipſe revixit?
Cui dubium? Vates pervolat ora virûm,
Occaſus qui tot ſtellarum ſcripſit & ortus,
Qui chartis magnus claruit innumeris.
Non famam; faciem quæro, quæ picta tabellâ
Spirat, & illius tam propria ora refert.
Tutiani fuit apta manus, quæ reddere vitam
Defunctis vita corporibus ſolita eſt.
Parthenope tegit hunc: hunc officioſa reſervat,
Conſociatque ſuo Mantua Vergilio.

IV.

* *Pulcher.*
** *Carmine namque ſuo.*
† *Sic codex noſter.*

Digitized by Google

IV.

DE EADEM.

Magnum Pontanum natura effinxerat olim,
Reddidit arte ſuâ dextera Tutiani.
Illum ut mirari & valeant ſpectare nepotes,
Invito effecit tempore Tutianus.
Ingenii Vates monumenta æterna reliquit:
Æternæ Pictor reddidit artis opus.
Magnus uterque ſua eſt arte, & ſibi debet uterque
Peniculo & calamo vivet uterque pari.

V.

AD PONTANUM.

Ter felix, Pontane, potes, ter maxime, dici;
Quod tua te faciunt carmina perpetuum:
Quod te Tutianus vivum poſt funera reddit,
Quodque tibi egregium contigit hoſpitium.

VI.

IN FUNERE M. ANTONII TURRII,

Viri Rariſſimi,

EPICEDION.

Æstuet aſſiduis quamquam mens anxia curis,
Atque hinc atque illinc animus diſtractus oberret,
Inferias tamen &, Turri, tibi ſolvere juſta
Conſtitui, ſacriſque, ut poſſum, intexere chartis,
Ne te Parca umquam aut ventura obliteret ætas;

Si

Digitized by Google

Si modo noſtra queunt promittere carmina tantum.
Quæ regio, qui vos, Muſæ, tenuere receſſus,
Qui colles, juvenem dum fata extrema manebant?
Nam neque Benaci pomaria vos, neque Gardæ
Patria detinuit, non herbifer Apenninus,
Sirmio non, docto felix & clara Catullo,
Cum Verona ſuum infelix ploraret alumnum;
Verona heu jam exhauſta viris, quondam inclyta doctis
Ingeniis, virtutum altrix, rerumque ferax urbs.
Illius mortem miſeratus, gurgite ab alto
Extulit horrendum caput, & convicia torſit
In ſuperos Atheſis. ſalices ſenſere gementem
Ipſum Atheſim,& qui rura colunt prope litus amœnum.
Quin etiam Nymphæ Benacides exſtirpantes
Cæſariem venere; vocant crudelia fata
Gardaque, Melſineeque, & Bardine formoſa,
Mœſtaque Turrine; & Mæſe laniata capillos,
Inſtar fontis, aquarum aſpergine ſaxa rigabat:
Frigiduloſque ciens ſingultus corde profundo
Cærula Laodice, Juveni ſuccurrite, clamat,
Numina, ſi benefacta valent & cognita virtus.
Attoniti vitreis de ſedibus exſiliere
Tritonum chorus, & morientis pœnitet illos.
At ſenior tumidis ſurgens Benacus ab undis,
Tollite, ait, lacrimas; lacrimis non flectitur ullis
Impia Mors, tantum terris quæ invidit honorem.
Nec te pœniteat Mortis, TURRI, optime TURRI;
Nam ſi FRASTORI quicquam & tua carmina poſſunt,
Virtuteſque aliæ, vives poſt fata ſuperſtes,
Æternum volitans ſtudioſa per ora virorum.
Hoc tibi ſolamen ſit, ſpes ea certa laborum.
Ille tamen, veluti ſuccumbens victima ferro,
Lumina cum moriens languentia declinaret,
Rupit in has voces, & queſtus fudit acerbos:

Dii,

Digitized by Google

Dii, ſiquà eſt pietas, nondum decerpite florem
Immaturi ævi, medicas ſi puriter artes
Edocui, mea ſi ſtudioſis profuit ætas:
At ſi fata vocant, ſaltem placide oſſa quieſcant,
Excipiantque meos manes loca amœna piorum.
His dictis, labefacti animi, multuſque per omnes
It gemitus, reſonat mæſtum per compita murmur:
Quale ſolet cum ſicca æſtate incanduit aer,
Et cæli rabies, ægræ dant murmura tectis
Mellificæ volucres parvis, gemitu omnia complent.
Ventoſæ extemplo planxerunt litora Rivæ,
Aeriæ unde ſonant magnis clamoribus Alpes.
Ipſa etiam Thenni rupes & frigida Pranze
Grotteque & Penetre ſuppoſta furentibus Auſtris,
Saxoſique Naci late oppida contremuere
Inſolito motu, & Lymphanus cinctus oliva,
Buxiferaque caput concuſſit fronte Brionus.
Tunc bubo in tumulis & noctua culmine Corni
Nocte ſedens dirum importuna voce canebat.
Tunc lugubre rubens cælo incandente cometa
Sanguineum oſtendit crinem longo horrida tractu.
Nos ſimulacra etiam pallentia vidimus atrum
(Horrendum viſu!) in templis ſudaſſe cruorem:
Vidimus errantes umbras ſub nocte maligna,
Quum mons Arcitenens ſcopuli de vertice ſummi
Triſtia ſigna dedit; nam ſaxum e monte revulſum,
Saxum ingens, magnâ dejecit tecta ruinâ,
Annoſaſque ornos & amicas pacis olivas
Ab radice revolvit præcipiti decurſu,
Et proſtravit humi viridantis robora lauri.
Poſtquam Mors atræ per opaca ſilentia noctis
Jucundo juvenem ſpoliavit lumine vitæ,
Virtute egregium juvenem, retro fugit undas
Calliope, ſilvaſque avertitur, & Parnaſſum

Indi-

Indignatâ ſuis cum fontibus aſpernata eſt.
Iccirco miſerum BATTUM mæſtaſque ſorores
Cernere erat laniare genas atque ungue capillos.
Quis te quis, frater, noſtræ pars maxima vitæ,
Ante diem rapit? interruptaque verba relinquunt.
Plura loqui prohibet dolor: at ſtillare videres
Oraque pectoraque, & fluvios verſare fluentes.
Quos ego tunc gemitus, quæ non ſuſpiria ſenſi!
Non igitur poſſem verbis memorare, nec ullis
Laudibus illorum pietatem æquare canendo.
Tum primum Ticinus liquidis argenteus undis
Multa gemens cæcoque latens expalluit antro,
Exoſus lucem, * aut nebula velatus opaca
** Mœſtus iit: cælumque vocans crudele juventus
Clara togâ, clara & ſtudiis quæſivit ademtum
Te, TURRI, ingeminans: TURRI, te pulſa ſonabant
Litora: te reſonis referebat vallibus Echo.
Non igitur poſthac Ticinides alludentes
Herboſo aut videas ſpatiantes margine ripæ,
Aut pubis tenus exſtantes procurrere in undas
Saltibus alternis, nec longum pectore crinem,
Nudata aut niveas oſtendere veſte papillas,
Mergere rejectis nec candida crura cothurnis.
Paſtores ægros ducunt cum matribus agnos:
Vix cythiſum carpunt pecudes, vix flumina libant.
Non arbos frondes, non lætas ſufficit umbras:
Non Zephyri in noctem aſpirant, non aura ſecundo
Suſpirat flatu. latet inter nubila Luna,
Nec jam virgineum fundit ſuffuſa ruborem.
Non apio viridi criſpatur florida tellus:
Areſcunt violæ & rubro roſa tincta pudore:
Nec conniventes oculos violaria ſolvunt.

Jam

* *Et*.
** *Indoluit*.

Digitized by Google

Jam laurus baccas & citri poma negârunt,
Flexipedes hederæ nigros poſuere corymbos:
Urit hiems teneras Benaci in litore myrtos:
Pro violis ſurgunt aconita; inſuetaque tellus
Dat tribulos; nuſquam eſt ſeges in fallacibus herbis.
Collibus haud largo pubeſcit vinea fœtu.
Vipera creſcit humi; ſquamoſaque tegmina verrens
Pulvereum ſulcat ſpiris iter horrida ſerpens.
* At pater Oceanus longe indignatus acerbum
Interitum, exercet maria alta, & frendit in undis,
Nec curat jam vota: jacent in litore nautæ
Cæruleos tumido revomentes pectore fluctus.
Tranſtra natant tabulæque & ventis acta carina.
** Omnia ſunt male tuta: nihil niſi triſte minantur
Sidera: & affectum contriſtat Scorpius orbem.
Me vero deſiderium & pia cura ſodalis
Sevocat adflictum a ſtudiis; nam pectore toto
Altius ad vivum perſedit vulnus acerbum.
Improba Mors, quid non fari me denique cogis?
Te ne immaturum rapuit Mors effera, tantum
Auſa ſcelus, longa TURRI digniſſime vita?
Te ne mihi Mors dura, & inexpugnabile fatum
Abſtulit, atque annis florentibus immaturum?
Mors ne tuos fructus tenera conſumſit in herba?
Egregiis cum jam famam protendere factis
Cœpiſſes, longeque tuum diffundere nomen.
At poſtquam reliquum nihil eſt, & nulla ſuperſunt,
Orbis honos TURRI, noſtræ ſolatia vitæ;
In primis tibi ruris opes, ſervataque ſpargo
Munera, narciſſumque immortalemque amaranthum,
Serpillum caſiamque & nardi ſerta virentis,
Manibus exoptans requiem, & bona verba precatus.

Quæ

* *Ipſe etiam Oceanus Pater.*
** *In codice amplius uno verſu:*
Inſolito fremit unda & fluctibus excandeſcit.

Quæ quoniam ex animo & puro ſunt corde profecta,
Admittet præſens non ſurda Juppiter aure.
Sis felix, TURRI; ſpiret tibi perpetuum ver,
Et molles tepeant hiemes, & lenior æſtas;
Aſſyriumque ſacro cineri naſcatur amomum,
Vernent & tumulo flores & lilia cana.
Dulce ſtrepant lauri folia, & tibi lene ſuſurrent
Afflatæ frondes Zephyris; tepidique Favonî
Aura tibi pariat flores beneolentis anethi.
Namque ego concordes exegi dulciter annos
Tecum, ut nil vita fuerit jucundius omni,
Cum menſa hoſpitioque eodem laribuſque fruebar:
Cum dii præſentes, * cum fata benigna ſinebant
Vivere te, & mecum longos requieſcere ſoles.
Sed quid jam miſero ſupereſt mihi? nulla voluptas
Te ſine erit; nam quis vivit te carior alter?
Tu mihi curarum requies & dulce levamen,
Pandebas animum & puri penetralia cordis,
Aſſuetus curas partiri & gaudia mecum.
Non ita ſub vitreo collucent fonte lapilli,
Nec vagus apparet nitido ſub flumine piſcis,
Quam tua rara fides & veri conſcia virtus
Seſe oſtentabat vultuque impreſſa nitebat.
** Ut lucem optatam ex Oriente Aurora reducit
Alba genas, croceo frontem depicta colore,
Pallentes abeunt umbræ, nox fuſca recedit;
Sic tua frons hilaris toto mihi corde dolores,
Toto animo & triſti faſtidia mente fugabat.
At nunc iſta mihi de te ſolatia præſtas?
Affari extremum nunc eſt data copia amico?
Nec licuit tecum noſtros finire dolores?
Uno eodemque die componi eodemque ſepulcro?

Sed

* *Et.*
** *Et veluti exoriens cum lucem Aurora reducit*
Alba genas & virgineo ſuffuſa rubore.

Digitized by Google

Sed fortaſſe meos gemitus ſupremaque ſpernis
Dona, ſupervacuos luctus, mixtaſve querelas.
Ipſe inter divos cæloque relatus in alto,
Conſpectu Superûm frueris, dulcique potiris
Nectare, & aſſurgunt teneri & famulantur Amores,
Arridet Venus, atque oculis cælum omne ſerenat.
Tu vero cæleſtem axem & vaga ſidera luſtras,
Saturnumque vides ac nimbiferum Oriona.
Cæleſtes propius gaudens cognoſcere cauſſas,
Percurris cæli tractus; terraſque profundas
Deſpicis, exſultans gentes liquiſſe profanas,
Et vulgum inſanum & tot habentes nubila terras,
Scrutariſque Orientem, ubi candidus exoritur Sol,
Diſcutiens tenebras jucundæ lampade lucis.
Te Phœdi natus medicorum adjungere regi.
Fas habet Hippocrati. ut ſolio te collocat alto!
Ut te circumſtant Superi caput admirantes,
Atque comam ambroſiæ ſpirantem molliter auram!
Salve igitur divûm ſoboles, diis æqua propago.
Nos ſemper votis memores, te ſemper amici
(Ne te forte animo noſtro effluxiſſe putares)
Marmore conſtructis * patrio venerabimur aris.
Per te ſenſerunt Medicinæ commoda gentes,
Et qui Naturæ cauſſas atque intima rerum
Heroaſque artes rimantur ſplendidaque aſtra.
Dum tua poſt annos, poſt ſæcula multa nepotes
(Ni cælum, ni me fallunt cæleſtia ſigna)
Scripta legent, alia atque alia admirabitur ætas
Doctrinæ monumenta tuæ, & virtutis honores.
Interea me nulla dies lenire dolentem,
Nec poterit tempus vivacem exſtinguere amorem:
Namque tui æternum, TURRI, dum vita manebit,
Ardeſcam deſiderio, amiſſumque dolebo.

VII.

* *Pario.*

VII.

Epitaphium

M. ANTONII TURRII.

TURRIUS hic ſitus eſt. illum hic poſuere Camœnæ:
  Et Medicina ſacro juſta dedit tumulo.
Ille quidem nondum ſex luſtra peregerat, & jam
  Arte ſenem medica vicerat Hippocratem.
Ante annos ſciviſſe nocet; nam præcoqua virtus
  Perſuaſit Morti ut crederet eſſe ſenem.

VIII.

Lacrimæ Secundæ

IN M. ANTONIUM TURRIUM.

EVOCAT ad lacrimas iterum me TURRIUS, & jamdudum intermiſſas poſtulat inferias,
Carmina & officium antiqui teſtantia amoris.
  Quiſnam illi ingratus munera digna neget?
Me juvat iccirco chartis mandare dolorem,
  Quem pia non ſicco lumine Laura legat:
Laura decus Nympharum, olim dilecta poetæ,
  In cujus clarum nomine fecit opus.
Heu quantos, TURRI, poſtquam te fata tulerunt,
  Quantos languidulo corde dedit gemitus!
Cum tantum fleret, quantum viduata marito
  Virgo, lares triſtis cum redit ad patrios,
Frigida deſerto dormire coacta cubili,
  Et mœrens vacui regna tenere tori.
Ah quoties leto optavit finire dolorem,
  Atque inter cineres compoſitam eſſe tuos!

Ah

Digitized by Google

Ah quæ mœſta tuo diſceſſu verba locuta eſt!
Quæ poſſent Chalybum frangere duritiem.
Jamque ope Perſephones, ope conjugis implorata,
Senſibus amiſſis concidit ante rogos.
Et ſecuit flavos formoſo e vertice crines,
Et quæ ludebant per roſea ora comæ.
Cum lacrimis tumulum roraret mœſta profuſis,
Virginis arentes ut rigat urna roſas.
Ex illo nitidos non carpſit tempore flores,
Nec perluciduli fluminis hauſit aquam:
Nec quiſquam Aſſyrio fragrantem hanc ſenſit odore,
Quem jucundum olim ferre ſolebat onyx.
Non ſilvæ, non prata queunt lenire dolentem;
Et jam æſtas una atque altera præteriit,
Cum tua more ſacro luſtravimus oſſa ſepulcro,
Et tibi fraternæ juſta dedere manus.
Illa gemit ſeu nimboſo ſedet Apennino,
Benaci placidas ſeu rate ſulcat aquas.
Seu Phœbus veſtit terram, ſeu mergitur undis,
Perculſa illius vocibus antra gemunt.
Ah quoties dixi, Mœroris deſine tanti,
Laura; querelarum ſatque ſuperque datum eſt:
Debita, Laura, viro ſat munera perſolviſti:
Deſine te tantis excruciare malis.
Non tamen aſſiduo ceſſat tabeſcere fletu:
Turgiduli æterno rore madent oculi.
Ut foliis tenerum caput inclinant hyacinthi,
Cum pluvia emolles forte gravantur aqua,
Et jam purpureus languet depreſſus humi flos,
Nec templa exornat candida cælicolûm;
Sic lacrimis ubertim effuſis extenuata eſt,
Olim nativo tincta rubore genas.
Nunc etiam veteres mecum officioſa querelas
Integrat, antiquo mœſta ſedens tumulo.

Digitized by Google

Audiit hos gemitus Verona ex collibus altis;
Miſcuit huic lacrimas lene fluens Atheſis.
Heu, Verona, tibi jucundum lumen ademtum eſt,
Cum bello exardens férveret Italia!
Illa tempeſtate malis deperdita fatis,
Clamabas ſurdos in tua vota deos.
Infelix bellum urgebat, lacrimabile bellum,
Bellum, hominum & virtutum omnium amara lues.
Heu, Verona, olim flos Europæque Aſiæque,
Unica doctorum mater amata virûm!
Tu non frigidulum fovisti corpus alumni,
Sed, quæ Benaci fluctibus alluitur,
Riva viro felix, illius clara ſepulcro,
Quem miſeri nautæ numinis inſtar habent,
Cum venti circum adlatrant ſpumantibus undis,
Illius puppis numine tuta volat.
Æquora criſpantes aſpirant leniter auræ,
Suſpirat Zephyrus ſuaviter horrificans.
Illum admirantes mediis Benacides undis,
Se ſe præ invidia fluctibus increpitant.
Ergo ſacras Turrî tumulo pendere tabellas
Vidimus, & templo multa corolla nitet.
Stant myrti amplexæ tumulum lauruſque virentes,
Quas memor aſſiduis Laura rigat lacrimis.
Sponte ſua inſurgunt citri ſuperimpendentes:
Illas non æſtas, non fera adurit hiems.
Vidimus hoc violas paſſim vernare ſepulcro,
Vidimus hiberno tempore hiare roſas.
Has inter, lacrimas fundit Medicina tepentes;
Nam Medicina tibi quando parem inveniet?
Quod ne hoc officium pertranſeat illaudatum,
Te medicas artes inſtituiſſe ferunt.

Nam

Digitized by Google

Nam quis te melius ſuccos * cognovit & herbas?
    Quis naturæ arcana altius explicuit?
Te quoque cantantem ſilvæ ſunt ſæpe ſecutæ:
    Ipſe Atheſis tacita pone ſecutus aqua eſt.
Te Ticini Nymphæ audierunt Pæana canentem,
    Muſcoſum propter fluminis hoſpitium.
Cantabas (memini); querulæ tacuere cicadæ;
    Nec ſtrepuit rauco ſilva refracta ſono.
† Olim cum caneres quæ præmia digna tuliſti,
    Cum te arctis carum amplexibus exciperet
Laura tibi accurrens & ſydera nocte ſerena,
    Nictabant tremulis conſcia luminibus.
In te quum dulces furtim argutabat amores,
    Libans mixta pudore oſcula virgineo,
Quum gaudebat amans ** Veneris conferre loquelas
    Vocibus in veſtris mutuus ardor erat.
Sed quoniam caſu te ſors oppreſſit acerbo,
    Læta recordari tempora *** nunc miſerum eſt.
Nam quis te invidit nobis deus? an quia amantes
    Stare diu unanimes impia fata vetant?
Invida te numquid rapuerunt numina terris,
    Ut cælum ornarent lumine conſpicuo?
Certe dignus eras cælo fulgere ſereno,
    Eſſe Ariadneæ ſtella propinqua comæ.
Sed quo progredior temere? tua, maxime TURRI,
    Facta canenda aliis ſunt graviore tuba.
Ergo renaſcentis Latii decus, unica, MARCE,
    Et patriæ & gentis gloria FLAMINIÆ,
Parcarum vitio ne TURRIUS obſcuretur,
    Neve ſuum nomen deleat ulla dies,

E 2 (Nam-

* *Cognorat.*

† *Hæc quæ adjecimus ex Mantuana editione, in Cominiana deſiderantur; nec enim offendere vel apud pudicos Poetas crediderim oſcula quæ virgineo pudore libantur.*

** *Veteres.*

*** *Quam.*

(Namque ſibi tales fieri mandavit honores)
Aggredere hunc chartis tradere perpetuis:
Ille tuo dignus laudari carmine; nam tu
Orphea divinis verſibus æquiperas.
Mî ſat erit lacrimas cineri dare ſemper amici,
Quo ſine triſte mihi eſt vivere, dulce mori.

IX.

Nænia

DE HIERONYMO NICHESOLA.

AH puer infelix virtute & fortibus auſis,
Macte puer domini gloria * rara tui.
Quæ te fata, aut quis miſerum te caſus ademit?
Invida fata, & ſors impia te rapuit,
Jucundos cum ageres primæ lanuginis annos,
Floridulus, veluti candida parthenice,
Quæ dum intacta manet, dum florem oſtendit honeſtum
Hanc auræ mulcent, educat æther aquis:
Sed poſtquam agricola ** infixo convulſit aratro,
Demittit caput, & flos ſine honore jacet.
In gyrum dum volvis equum, & calcaribus urges
Terga ferox, præceps deſilis altus equo:
Languenteſque tibi clauſit Mors pallida ocellos.
Heu bona tot furtim ſuſtulit atra dies!
Te luxit Manto, veluti Venus aurea Adonim
Formoſum; & crines vertice diſſolüit.
Mincius indoluit, liquidaſque a ſedibus imis
Exturbavit aquas fletibus aſſiduis.

X.

* *Gonſagida.*
** *Duro contuſit.*

Digitized by

X.

Nænia.

DE MORTE MATRIS.

ET merito has lacrimas, hos ſpargo veris honores,
Cara, tui, Genetrix, digniſſima præmia partus,
Muneraque extremis nunc exſequor annua votis,
Maternam ſacris veneratus honoribus umbram.
Alter ab octavo undecimoque revolvitur annus,
Cum tua marmoreo ſunt oſſa repoſta ſepulcro.
Illa tempeſtate meæ nutricis alebar
Complexu in molli, me tertia viderat æſtas
Vix bene firmantem greſſum, & blæſo ore loquentem;
Cum te pallida Mors tenebris involvit opacis,
Injecitque manum viridi ſub flore juventæ.
Vidi ego cum triſti procederet ordine pompa,
Horrenda extremum caneret cum voce ſacerdos,
Ingentis turbæ gemitus; nam turba gemebat
Subjecti populi, & fatum damnabat avarum,
Juſtitia & placida vivens quam pace fovebas.
Tunc parvi flebant fratres, paſſiſque capillis
Pectora tundebant fletu madidæ ora ſorores;
Quarum etiam ſilvas reor ingemuiſſe dolore.
Miratur Padus aurifer ſacrarum
Legum ſenſa recondita eruentem.
Lites ſiſtere tu ſoles protervas,
Et nodos aperire Gordianos.
Oraclum ergo tuum mihi remitte.
Nam quicquid tua ſenſerit Minerva,
Quicquid judicium tuum expolitum,
Id ratum eſſe jubebo: & acquieſcet
Omnis turba, furorque litigantum.

LXVI.

DE ARONE MUSICO.

VIVAT ARON, ſæclo ſua virga refloreat omni,
Per quem, obſcura olim, Muſica nunc rutilat.
Ergo digna feret tantorum dona laborum:
Præmia quis tanto digna neget capiti?
Vos vivam, vates, ſtatua & decorate corona:
Poſt obitum ſidus, dii, facite eſſe novum.

LXVII.

AD HANNIBALEM LYTOLPHUM

De Lampridii Odis.

ODAS LAMPRIDII tibi remitto,
Bona reddere quas fide recepi,
Factas Pindari ad æmulationem,
(Mehercle rarum opus atque inuſitatum!)
Verum debeo tam tibi, LYTOLPHE,
Quam dici queat, aut imaginari,
Illas quod dederis mihi legendas:

Qui-

Quibus ſæcula noſtra gloriari
Poſſunt, nec veterum invidere chartis.

LXVIII.

Epitaphium.

BOSELLI SENIS:

ATTENUAT curva dum citros falce BOSELLUS;
Et reſecat patriis luxuriem arboribus,
Invidit Mors ſæva; Senex bone, falx mea, dixit;
Promtior; atque probum ſuſtulit orbe ſenem.
Nunc citri areſcunt; pereunt limonia poma:
Benacus lacrimis hoc obitu auget aquas.

LXIX.

DE CÆSARE MAXIMO ÆMILIANO
Vita functo.

NON noſtro, ut ſolitum eſt, extincto CÆSARE, cælum
Indoluit, nec Sol triſtia ſigna dedit:
Sed fuit hiberno clementia tempore Veris,
Fulſit & ex omni parte ſerena dies.
Lætatum eſt veniente ſuo jam CÆSARE cælum;
At terris luctum liquit & invidiam.

LXX.

DE EODEM CÆSARE.

INVIDIT terris Cæli te regia, CÆSAR;
Nimirum imperium noverat illa tuum.

LXXI.

AD JULIUM ROMANUM.

Dum Minci ad ripam veteres, Juli, advehis artes,
Per te jam dici Mantua Roma poteſt.

LXXII.

DE FOSSATO PHILOSOPHO.

Intima naturæ Fossatus nôrat; eratque
Fossatus cæcus lumine, mente videns.

LXXIII.

CONTERNII TUMULUS.

Conterni Verona ortu, Manto ipſa ſepulcro,
Manibus eſt felix regia Cælicolûm.

LXXIV.

DE EODEM.

Conterni, æternum dormis: te luget ademtum
Minçius, atque Atheſis; hic patria, hic tumulus.

LXXV.

ANNÆ RHEGIENSIS EPITAPHIUM.

Ne morerer, volui periiſſe: at vita perennis
Servatæ pretium virginitatis erit.

LXXVI.

Digitized by Google

LXXVI.

DE EADEM.

VIRGINEAM patruus zonam dum ſolvere tentat,
Me necat, & vita dat meliore frui.

LXXVII.

MOLZÆ EPITAPHIUM.

MOLZA, jaces. Muſæ te diſcedente Latinæ
Flerunt, & Tuſcis miſcuerunt lacrimas.

LXXVIII.

RAPHAELIS URBINATIS PICTORIS EPITAPHIUM.

PICTOR eram: nomen RAPHAEL mî: patria cultum
Urbinum: alma parens Roma fuit tumulus.

LXXIX.

DE EODEM.

NATURAM potui ſolus qui vincere pictor,
Naturæ fatis cedere cogor ope.

LXXX.

EPITAPHIUM ODERICI PATRIS.

SI Mors ſæva nequit probitatem exſtinguere, quis te
Victurum æterno tempore, ODRICE, neget?

Digitized by

LXXXI.

DE CHIPERIO CANE AB AQUILA RAPTO.

CHiperium illa eadem pedibus mihi ſuſtulit uncis,
Quæ quondam Ganymedem abſtulit, alituum
Regina: * aſt inter, juſſu Jovis, aſtra locavit,
Ut Cane præniteat pulchrior Erigones.

LXXXII.

DE EODEM.

CHiperios aquilæ pedibus raptatus aduncis,
Aſtra petit: geminus nunc tenet aſtra Canis:
Vos Phaetontæos iterum ſperate calores,
Agricolæ: duplex decoquet arva Canis.

LXXXIII.

DE EODEM.

JAm cælo eſt geminus Canis; timeto
Æſtatem, agricolæ, ſiticuloſam.

LXXXIV.

DE EODEM.

EST tibi, Chiperi, tumulus regina volúcrum;
Morte alia, haud alio dignus eras tumulo.

AD-

* *Atque*.

FINIS

LIBRI SECUNDI.

Digitized by Google

ADNOTATIONES

IN LIBRUM SECUNDUM.

I. JOvianus Pontanus; Cerreto Umbriæ natus, magnus Philoſophus & Poeta, inter multa quæ elegantiſſime ſcripſit, Aſtrorum curſus notiſſimo *Uraniæ* Poemate cecinit. Ejus carmina Auctor noſter tanti fecit, ut eum doctiſſimo Catullo conſociare haud dubitaverit in Operis invocatione, quam habebis in noſtra primum editione Lib. IV. n. 1.

Is eſt *Ludovicus Strozzi* Poeta Mantuanus, ad quem *Marcus Antonius Flaminius* illud Hendecaſillabon ſcribit

„ *Strozzam* Flaminius ſuus ſalutat. „

Ludovico huic mittit *Petrus Bembo* epiſtolam *nelle Lettere di diverſi nobiliſſimi Ingegni per Aldo*. De hoc ait Textor in officina „ Strozza Mantuanus, cujus Bucolicam tanti facio, ut Vergilianis conferam. „ De *Gonſaga*, *Calandra*, & de *Capilupis*, *Marno*, & *Preto* vide quæ notantur n. 25. & ſeq.

Fortaſſe *Joannes Baptiſta dalla Torre* Veronenſis; de quo infra.

VI. De *Marco Antonio dalla Torre* Veronenſi, vide *Maffeium* Ver. Illuſt. Quæ vero ad nomina pagorum explicanda neceſſaria eſſe judicavimus, paucis expediemus.

Garda, ad Benacum Veronenſium magni nominis Comitatus, a quo Lacus ipſe proximiori ævo nomen accepit, & jura.

Apenninus. *Baldum* Veronenſium montem jure Poeſis Appenninum vocat. *Pœninum* vero antiquis dictum fuiſſe credit eruditiſſimus March. Can. *Dioniſi*, de noſtra hac editione præcipue meritiſſimus, ex quo illud *Dantis* ad rectam Geographiæ normam ſic legendum fortaſſe eſt:

Digitized by Google

Suſo in Italia bella giace un laco
A' piè de l' Alpi che ſerran Lamagna
Sovra Tiralli, ed ha nome Benaco.
Per cento fonti credo e più ſi bagna
Fra Garda Val di Monica e Penino
De l' acqua che nel detto lago ſtagna.

Moniga enim ad Benacum in Veronenſi ora ſita eſt.

Sirmio, *Sermion*, Benaci peninſula ſatis celebrata. Non hanc, ſed Veronam Catulli Patriam fuiſſe mihi probat *Maffeius*.

Melſinee, *Malſeſine*, ad Benacum in finibus Veronenſium, idem eſſe quod *Maſe* vel *Ennemaſe Paulli Diaconi* plurimi dictitarunt. *Manes Scilices* in antiquis Documentis apud Can. *Dioniſi* vocantur. Hanc Veronenſes ſæculo demum proxime elapſo certam Lacus Præfecti ſedem eſſe voluerunt.

Bardine, *Bardolino*, ad Benacum omnigena fico uberrima, quam *Pardalim* alii vocant, ſed *Bardolinum* ſive *Gardolinum* antiqua Documenta.

Turrine, *Torri*, item ad Benacum, quæ *Tulles* in antiquis Documentis vocatur. Ab aliis vero *Turros*.

Maeſe, *Maſe*, locus prope *Brencione* ad Benacum. *Paullus Diaconus* habet in Hiſt. Longob. *Cimbra*, *Vitianum*, *Brentonicum*, *Volene*, *Enne*, *Maſe* & *duo in Alſuca*: ubi *Cluverius*, *Maffeius* & *Berretti*, *Ennemaſe* legunt, ac *Malſeſine* interpretantur. *Barthius* & *Tartarottus*, pro *Enne*, *Maſe* legunt, *Enne*, *Manſeni*; hoc eſt *Enno*, *Molvèn*. Ego ex hoc Poetæ loco ſuſpicor *Maſe* retinendum eſſe, itemque *Enne*, *Enno*. Sed judicent Critici. *Maſe* a *Magino* quoque ponitur Tab. XXXI.

Laodice, *Lazîſe*, ad Veronenſem Benaci oram, quæ *Laceſe* paſſim in Diplomatibus.

Hieronymus Fracaſtorius notiſſima elegia concivis cariſſimi mortem queritur. Eam lege in edit. II. Comin. Tom. I. c. 106.

Riva, nobiliſſimum trans Benacum oppidum, quod *Riva*, vel *Ripa* æque in antiquis Documentis. Priſcis uſque temporibus ſub Veronenſium erat ditione, nunc vero Epiſcopatui Tridentino ſubjectum eſt.

Ma-

Digitized by Google

Maximæ de eo inter Hiſtoriæ noſtræ Criticos diſputationes feruntur, quæ neque loci, neque temporis ſunt. Conſule tamen *Maſſeium*, *Tartarottum*, & *Dioniſium*.

Thennum, pagus, & hujus nominis in proximo monte Arx ultra *Rivam*: de eo paſſim in Diplomatibus.

Pranze, *Pranz*, prope Caſtrum *Thenni* ad fontem *Varonis*, quem *Lavinum de Pranz* antiqua Documenta dicunt.

Grotte, *Le Grotte*, vicus ruſticus ſub monte *Briono*, Ripam verſus.

Penetre, *Penede*, antiquiſſima prope *Nacum* Arx a Gallis ſub Duce *Medavj* anno 1703., & temporis injuria penitus diruta, Arcenſis Dynaſtiæ.

Nacus, *Nago*, in Alpibus Tridentinis, & in ditione Arci. Cum antiquam Benaci Urbem, a qua Lacum nomen accepiſſe nonnulli tradiderunt, validiſſimis argumentis numquam extitiſſe teſtetur *Maſſeius*, aliquibus huic loco decus hoc tribuere viſum eſt; ſed

„ Incerta hæc ſi tu poſtules
„ Ratione certa facere, nihilo plus agas
„ Quam ſi des operam, ut cum ratione inſanias.
Terent. in Ph.

Lymphanus, *Linfan*, olivetum in Alpibus Tridentinis. Eum a lymphis dictum aliqui ingenioſe tradiderunt.

Brionus, *Brion*, mons in Alpibus Tridentinis, ubi *Sarca* jam maxima fluit, Benacum auctura.

Corni Arx in Juridiſctione Co: de *Lichtenſtein*, in finibus Arcenſium.

Joannes Baptiſta, *Marci* frater, Aſtronomus & Poeta, de quo conſule *Maſſeium Ver. Ill.* Primum Patavii, poſtmodum Papiæ, *Marcus* publice profeſſus eſt. *Fracaſtorius* in cit. Eleg.

„ Vos teſtes Ticine, & qui inter paſcua læta,
Medoace, antiquos abluis Euganeos. „

VII. Eum trigeſimo ætatis anno acerbiſſimo fato periiſſe, nos ineraria inſcriptio apud *Maſſeium* docet, ſed

ſed ille quidem nondum ſex luſtra peregerat. *Paullus Jovius* in *clariſſimorum Virorum Elogiis*, hujus epigrammatis ultimos tantum verſus refert, *maxima* legens ubi *præcoqua*. Eos tamen non legimus in tumulo *Turriani*, ut *Jovius* ait.

VIII. *Marcus Antonius*, *Rivæ* occubuit, atque hinc ejus oſſa exhumata, *Veronam* poſtea in ſuorum tumulum translata ſunt.

De Marco Antonio Flaminio vide quæ adnotabuntur n. XVI. Etſi maxima cum *Turrianis Flaminius* adjunctus eſſet amicitia, tamen de *Marco Antonio* hoc nullibi verba fecit, quod ſciam.

IX. *Hieronymus*, *Alexandri Nichesola*, & *Thadeæ Fabris* filius, anno 1512. natus.

X. *Ceciliam Gonſaga*, *Caroli Bozoli* Principis filiam, *Odoricus Archi* Comes uxorem duxit, ex eaque noſtrum habuit *Nicolaum*. Matri ſuæ mæſtiſſima hac nænia juſta perſoluit *Poeta* vigeſimo ſecundo ſuæ etatis anno, ex quinto, & octavo verſu.

Sarca, fluvius agri Tridentini, in Alpibus ſupra *Camulos* ortum habet, & e *Nambino* monte per *Vallem Rhamdenam*, & prope *Arcum* decurrit ad *Benacum*, multis auctus torrentibus. Hunc *Cellarius* & *Cluverius*, *Carracam*, vel *Sarracam Ptolomei* exiſtimarunt.

XI. Ad *Paullum Jovium* Novocomenſem virum doctiſſimum ſcribit Poeta, quem ob ſcripta *clariſſimorum virorum elogia* & *Belli Parthici commentaria*, *ſuique ævi Hiſtoriam*, commendat. Scriptum hoc Hendecaſillabon fuiſſe puto, quo tempore *Solymanus Viennam*, quam obſederat, reliquit. Obiit Jovius Florentiæ anno 1552.

XII. *Attilius Thiene*, *Æmiliam* Auctoris filiam, morte Co: *Alberici Lotronii* viduatam, uxorem duxit. De Alexandro hoc nihil eſt, quod addam. Scio tantum eo temporis vixiſſe Ferdinandum *Thiene* magna cum laude apud II. CC.

Vallis Caprina, *la Valle di Cavrino*, in finibus Veronenſium. Huic nomen *Cabrines*, *Cavrino*, maximus prope Atheſim pagus impoſuit.

Car-

Digitized by Google

Carmen ; quo *Flaminius* cecinerit Europæ & Jovis ſabulam , inter ea quæ edita ſunt , nullum invenio.

De *Actio Sincero Sannazario* nihil attinet multa dicere. Hunc noſter ab *Eclogis*, ac divino de *Partu Virginis* Poemate hic laudat.

XIV. Supra *Sarcam* , de quo flumine dictum eſt , in *Rhamdena* valle inter *Thionenſes* , & *Sarcocanios* ligneus pons eſt, ex quo ſcriptum aliquod Poetæ noſtro excidiſſe cenſendum eſt . De *Madrutio* vero ea lege, quæ adnotavimus ad num. LX.

Fortaſſe *Lazari Bonamici* epiſtolam , *Matthæo Giberto* conſcriptam, quam inter Carmina illuſtrium Poetarum legimus.

Joannis Baptiſtæ Velo Tragediam proſa ſcriptam ; cui titulus *Tamar*, & de qua conſule *Fontanini Biblio. Ital. & Zeno in Not.*

Georgii Logi Poetæ Germani, quem laudat *Jovius* in *Elogiis*.

XV. *Paullus Ricci* Germanus, relictis Hæbreorum tenebris Catholicam Religionem ſecutus eſt. *Papiæ* publice Medicinam docuit, inde in Archiatrum *Maximiliani* I. Imperatoris electus eſt . Floruit circa annum 1514., eumque *Eraſmus Roterdamus* laudat pluribus locis.

Jaſon Maino Mediolanenſis, e Patavino ad Ticinenſe Lyceum translatus eſt , ubi inter multos auditores non raro habuit *Franciſcum* I. Galliarum Regem. Mortuus tamen eſt Patavii anno 1519. De eo fuſius *Jovius* in *Elogiis*

Joannes Franciſcus Pico , *Mirandulæ* , & *Concordiæ* Princeps, & celeberrimi *Joannis Pico*, de quo vitam ſcripſit, Nepos.

Matthæus Curtius , natus eſt Ticini, & non ſolum in Gymnaſio patrio, ſed & in Patavino, & Bononienſi, & Piſano ſumma cum laude Medicinam docuit. Quare etiam a *Clemente* VII. Pont. Romam ſæpius vocatus, *Maſſilienſe* iter cum eo ſuſcepit. Obiit Ticini anno 1544. Vid. *Mangetum in Bibl. Med. Curtius*

alter

alter *Benedictus* eſt, ad quem Convivium Ticinenſe mittit Poeta.

Pyrrhus hic, *Joannes Petrus Pincio* eſt, qui ſibi *Jani Pyrrhi* nomen impoſuit.

Franciſcus Calvo Novocomenſis, non ignobilis ſui ævi Poeta, de quo *Merulam* vide, & *Thomam Porcacchi*, *Nobilta di Como*.

XVI. *Marcus Antonius Flaminius*, Poeta cultiſſimus, apud *Matthæum Gibertum* Veronæ Epiſcopum aliquando fuit, ubi facile Fracaſtorium audire potuit. Ea vero, quæ in ſuo Pontificatu Mattheus geſſit magna & laude digniſſima, legeſis in Oratione quam in ejus obitu *Adamus Fumanus* conſcripſit, primumque edidit *Novarinus*. Carmen hoc poſt mortem *Marci Antonii dalla Torre* ſcriptum fuiſſe, ex verſibus 34. & ſeq. plane colligitur.

Marcum Hieronymum Vida de ſuo Chriſtiados Poemate laudat.

Lælius Capilupi, & *Lodovicus Strozzi*, Poetæ Mantuani.

XVII. *Hieronymus Gabloneta* Mantuanus, Philoſophiam & Medicinam profeſſus eſt, ut ex memoriis mſs. *Andreæ Zucchi*, de quibus intra, floruitque anno 1553.

Mantuæ nunc etiam inter nobiliſſimas extat *Agnellorum* familia, de qua fuſius in Patriæ ſuæ Hiſtoriam *Scipio Agnellus Maffei*. Diu multumque operatus ſum, ut certe ſcirem quiſnam eſſet *Agnellus* Poeta hic ab Auctore noſtro laudatus, ſed fruſtra. Fortaſſe ille eſt, de quo *Petrus Bembo* in epiſtola ad *Ludovicum Strozzi* ait; *Darò queſte lettere a M. Benedetto Agnello*. Convenit enim litterato viro cum litteratiſſimis habere neceſſitudinem.

Bianoris nepotum: ideſt Civium Mantuanorum. *Ocnus* enim Mantuæ fundator *Bianorus* vocatus eſt; ideoque Virgil. cecinit

. . . . Sepulcrum
Incipit apparere Bianoris.

XVIII. *Paridem Cereſara Mantuanum* e nobili gente, & *Dinæ Archiæ Poetæ* noſtri ſororis virum, intelligendum exiſtimamus. Cum Philoſophiam maximope-

re

Digitized by Google

re coleret, inter Magos ob temporum ignorantiam relatus eſt, & multa etiamnum de eo Mantuæ vulgo ſabulantur. Divinum eum vocat *Cardanus*. In veteri omnium Sanctorum Eccleſia Mantuæ ſepultus eſt, & hoc tegitur lapide: *Paris Cereſariorum Ille. Obiit anno* MDXXXII. III. Maii. Vixit annos LXVI.

XXI. *Comes Fortunatus Martinengo* Brixienſis, maximæ famæ vir, ad quem multas ſcripſit Bontadius epiſtolas, *Liviam* Auctoris filiam uxorem habuit. Poeta noſter orat *Calinum* ne ſinat illum Romam pergere, atque ad eumdem hunc *Calinum* elegantiſſimam ſcripſit *Flaminius* epiſtolam de *Adoleſcentibus inſtituendis*.

XXII. Cultiſſimum Scriptorem *Hannibalem Caro* laudibus extollit ob varia ejus opera. De eo vero, nec de *Farneſiorum* patrocinio haud alia ſuggeram, cum ſatis ſuperque ab eruditis viris notiſſima habeantur.

XXIII. Cum *Franciſcus* II. Mantuæ Dux, in tutela *Herculis* Cardinalis eſſet, *Albinum* præceptorem habuit, virum Graja, & Latina Minerva eruditum. Latinam ejus epiſtolam ad *Stephanum Laureum* de *Archio* noſtro habemus ex Mantuana Editione.

XXIV. *Jo: Baptiſta Vargnanus* Incola Arcenſis, vir cum Hiſtoriæ, & antiquitatis ſtudio, tum Jurisprudentia clarus fuit. Quod attinet ad loca Tridentini agri in hoc carmine memorata non opus eſt quicquam addere, præter quam

Flaveia Rura, *Fiavè*, locum eſſe in *Judicaria* ad Plebem *Lomaſſi*.

Lunthum, *Luni*, in *Judicaria* etiam ad *Lomaſſum*.

Fortaſſe *Hieronymus Cajano*, qui anno 1569. Roboreti Prætor notatur a Clar. *Tartarotto*.

XXV. Ad *Jacobum Calandram* virum doctiſſimum, Mantuanis Arcis Præfectum, epiſtolam hanc ſcribit Poeta, cum ei *Hippolitum* ex fratre *Federico* nepotem mors abſtuliſſet immatura. *Hippolitum* vero, equitem & Ducalis Aulæ Magiſtrum, fuiſſe colligimus ex memoriis *MSS Marci Andreæ Zucchi* Mantuani Secretioris Archivii Præfecti, quas mihi tradidit amiciſſimus *Joannes Maria Galeotti*, quem honoris cauſa nomino.

XXVII.

XXVII. *Lelii*, *Camilli*, & *Hippoliti Capilupi* Carmina edita habemus *Romæ apud Heredes Joannis Liliotti* 1540. *Lelius* Mantuæ natus eſt anno 1497. Diu Romæ vixit *Hippolyto Eſtenſi* Cardinali gratiſſimus, & in Patriam obiit ad annum 1563. Menſe Junio. Ejus ſepulcrum in *D. Franciſci* Templo poſitum, hoc Epigramma ;refert

Lelio Capilupo Bene F.

„ Mantua te Leli merito ſe jactat alumno;
„ Nam Maro qua ſonuit tu quoque voce ſonas;
„ Et tua ſint quamvis ex omni parte Maronis
„ Carmina, non eadem, quæ canit ille canis;
„ Non igitur mirum, ſi te modo Mantua ademptum
„ Certatim ſpargit floribus, & lacrymis.

Vixit annos LXII. dies XV.
Obiit MDLXIII. Jun.

Camillus anno 1504. ortum habuit. Hic *Margaritæ Paleologæ* nomine Montisferrati Provinciam optime rexit, & pro *Franciſco* I. Mantuæ Duce apud *Carolum* V. Imperatorem legationem ſuſcepit: demum Mantuæ moritur anno 1548.

Hippolytus, Fani Epiſcopus, ad Venetos pro *Pio* IV. P. M. Legatus fuit, & cum *Hercule Gonſaga* Cardinali Concilio Tridentino interfuit. Romæ in *Ara-Cæli* ejus extat ſepulcrum his verbis.

D. O. M.

„ Hippolyto Capilupo Epiſcopo Fanenſi, qui integri-„ tate vitæ, ſuavitate morum, elegantia ingenii ſpe-„ ctata, in maximis amicorum periculis fide ſingu-„ lari, in difficillimis negotiis explicandis dexterita-„ te, ac prudentia excelluit; Herculi Gonſagæ Car-„ dinali Mantuano ſumme carus fuit; a Pio IV. Le-„ gatus ad Venetos, eo munere per triennium, ſum-„ ma omnium approbatione perfunctus eſt. Vixit an-„ nos LXVIII. Menſes VIII. Dies IX. Obiit. Kal. „ Maii MDLXXX.

„ Camillus Capilupus Patruo optimo, optimeque „ de ſe merito lacrymans P.

Dyo-

Digitized by Google

Dionyſius vero *Preti*, *Hieronymi* filius elegantiſſimus Poeta fuit, uti liquet ex *Memoriis Andreæ Zucchi* modo laudatis, in quibus etiam de *Julio Marni*, *Auguſtini* filio, non ſine laude mentio fit.

XXVIII. *Tartaro*, flumen Veronenſium eſt, quod *Atrianum Ptolomeus* vocat. *Tartar* effertur a noſtro, ſed *Tartarum* vel *Tartarus* paſſim ab aliis Scriptoribus, & in Documentis.

Ollius, fluvius Brixienſium agrum alluit, inde per Bergomenſium, & Cremonenſium fines in Mantuanum deſcendit, & in Padum influit.

De *Aloyſio Gonſaga*, de quo infra, litteratiſſimo viro fortaſſe intelligendum eſt.

XXX. Quiſnam *Pomponius* iſte fuerit, mea & amicorum diligentia haud compertum habui. Ex Codice vero noſtro *Aretinum Petrum* hunc eſſe intelligimus; eum enim, & *Nicolaum Franco* mordaciſſimæ Muſæ viros noſter excitat.

XXXI. Poeta ſcribit epiſtolam hanc *Aloyſio Joannis Petri Gonſagæ* filio. Is maxime humaniores litteras coluit, uti ex *Ceſare Campana*, & *Poſſevino* colligimus.

XXXII. *Collatinus*, *Manfredii*, & *Blancæ* cognomento *pulcherrimæ*, Comitum de *Collalto* filius, poſt Patris mortem natus, *Poſthumi* nomen accepit. Cum vero *Odoricus* Auctoris noſtri pater, *Cecilia Gonſaga* extincta alteram uxorem *Suſannam* de *Collalto* habuerit, apparet multam fuiſſe *Archiæ* gentis cum *Collalta* conjunctionem.

XXXIII. *Joanni* huic *Fruticeno* elegantiſſimorum horum Carminum collectionem debemus, cum, eorum auctore inſciente, ipſe Mantuanam editionem procuraverit. Hæc vero ad clariorem verſiculorum explicationem ſubjungenda duxi, præter ea, quæ alibi adnotavi.

Piſcheria, *Peſchiera*, antiquiſſimum Veronenſium ad Benacum oppidum quod *Arilica* in Romanis lapidibus habetur. Ibi Nautarum Collegium, ut ex *Maffeio*: infimis temporibus ab uberrima piſcatione *Piſcheriæ* nomen accepit, & prima hujuſce mentio in Diplomate anni 833.

Diſen-

Digitized by Google

Diſentianum, *Deſenzano*, frequens Veronenſium ad hæc fere uſque tempora ad Benacum pagus, nunc quamquam in noſtra Diœceſi ſitus, Brixienſium ditioni adjunctus eſt. Eum a *Decentia* familia dictum docet *Maffeius*, & *Decentianum* paſſim in Documentis habemus.

In *Sirmionis* peninſula, præclariſſima Romanæ antiquitatis rudera extant, quæ etiamnum ab incolis *Caſa di Catullo* vocantur: ibidem antiqui fornices, aquæductus, & antra, & quæ *Grotte* di *Catullo* vulgo nominant.

Plinium Seniorem, Naturalis Hiſtoriæ Patrem, e *Secundorum* non *Pliniorum* familia fuiſſe ſatis probat *Quinti Æmiliani Cimbri* auctoritas

„ Veronæ decus & Domus Secundæ,
„ Plini, gloria . . . .

Cum enim multæ in Veronenſi agro inſcriptiones *Secundorum* gentem referentes exfoſſæ ſint, hinc contra Novocomenſes *Plinium* Veronenſem eſſe *Ruffus*, *Pantheus*, *Panvinius*, aliique rerum noſtrarum Scriptores, maximo inter cætera argumento ſtatuerunt. Hoc idem cecinit *Jodocus* in ſuo *Benaci* Poemate

„ Sed quid adhuc video? Lari num littora magni
„ Exciri circum trepidos per inane tumultus?
„ Murmure quid ſtrepitant? quid digladiantur? an illum
„ Et patriæ rapuiſſe parant & dicere civem
„ Inſubres? ſubito malus hic unde ingruit error?
„ An quia Cæcilius charuſque nepoſque Secundo
„ Municipem Comi ſe ſe eſt dicturus? at heus tu
„ Laudibus ipſe tuis non tam moveare, Secunde,
„ Urbibus ut multis Civis poſcare; ſed ipſi
„ Aſſere te patriæ vivens, doctumque Catullum
„ Conterraneum, & illius molire Camænas
„ Objicere errori. Quin & veneranda parentum
„ Te tangat pietas, horum & monumenta ſacratis
„ Oſſibus extruito Veronæ, & clara Secundæ
„ Stemmata declament ſobolis diſpoſta per urbem,
„ Per delubra Deum, per compita lata, per agros
„ Marmora, quæ comperta colat, veneretur, adoret

„ Po-

„ Poſteritas; quæque erroris nigra nubila tollant,
„ Teque decus patriæ, & civem teſtentur in ævum. „

Multæ vero lapides *Secundorum* nomine inſcriptæ a majoribus noſtris, etiam apud lacum Benacum, inventæ ſunt, eaſque *Archius* noſter vocat

„ Sculpta marmora litteris vetuſtis
„ Secundi monumenta clara Plini.

Domitius Calderinus, ſummi ingenii vir ad *Tullem*, *Torri*, Veronenſem prope Benacum ortus eſt, ut lapis a *Politiano* poſita, quæ ibidem extat, nos docet: de eo conſule *Maffeium*.

Trimila. Duo inſulæ, ſeu verius ſcopuli, in lacu Benacenſi apud *Manes Scilices*, prope *Caſſonum*, *Tremoloni* nuncupati: de his egregie fabulatur *Jodocus* in ſuo Poemate.

Minervæ, *Minerbe*, *o Rocca di Minerbe*; ad lacum Benaci Veronenſis Diœceſis, quæ *Arx Minervæ* in Documentis appellatur. *Minervium* antiquos dixiſſe credit *Maffeius* e Palladis templo ibidem extructo.

Saloum, *Salò*, nobile ad Benacum oppidum in ora Brixienſi, imo ejus nunc totius oræ caput. Quamvis autem in eo multa ſint antiquitatis veſtigia, primum tamen ejus mentio fit ad annum 383. in Actibus Divi Vigilii Epiſcopi Tridentini, quos *Fetius* edidit, in quibus *Salonitæ* vel *Salonitani* mercatores nominantur. Multa deinceps de eodem *Grattarolus*, *Cattaneus*, & *Fortunatus Vinacceſi*. *Cornelius* iſte, *Griffus* fortaſſe eſt: ſcio etiam *Corneliam* gentem prope Saloum in loco qui dicitur *Gardone* adhuc exiſtere.

Tuſculanum, *Toſcolano*, vicus in eadem ora olim ſub Veronenſium ditione, & *Benacenſium* omnium princeps. Ab *Euganeorum* numine *Cuslano*, de quo mentio habetur in lapide Muſei Veronenſis, dictum credit Canon. Marchio *Dioniſi*.

Maternum, *Maderno*. Hic quoque vicus in eadem ora eſt, multaque etiam ipſe ſervat reliqua ex antiquitate, & maxime Fortunæ templum. Othonis Cæſaris Diploma habetur anni 951., in quo ſic de Maternenſibus. *Cariſſimi Fideles noſtri de Materno regales homines ut ſint liberi & ſoluti*. Idem Federicus II. confirmavit an. 1321.

Tret-

Tretti nomine, ſuſpicamur locum quemdam in lacu Benacenſi prope *Tignale* ſignificare, qui vulgo dicitur *Trett.* quo magna vis carpionum concurrit.

Bolliacum Bojago ad Benacum in ora Brixienſi.

Ibidem familia *Boſello* honeſtiſſime vixit, ejuſque nunc etiam extat ſepulcrum in *D. Franciſci* Templo.

XXXIV. *Andreas Althamer, Brentz*, Suevorum pago humili ſtirpe natus, anno 1500. ſcientia Theologiæ inclaruit, multique fuit ejus opera *Norimbergæ* pro *Reformata*, ut vocant, Religione, tum *Bernæ* contra quoſdam *Zuinglii* errores; ipſe vero *Lutherum* ſecutus eſt. More illius ſæculi Græcum *Paleoſſite* nomen ſibi ſumpſit. Multa ſcripſit, & præcipue eruditiſſimas in Tacitum adnotationes. Libellus, quem hic laudat Poeta noſter, inſcriptus fuit, *Diallage* h. e. *conciliatio locorum Scripturæ, qui prima facie inter ſe pugnare videntur*, impreſſus *Norimbergæ* 1528. Deceſſit ipſe circa annum 1529. Vide *Andream Willium* in Par. I. de Eruditis Norimbergenſibus. De *Stephano Laureo* vide infra.

XXXV. *Vels*, pagus in Tridentino Ducatu prope Bauzanum (nunc *Bolzano*) *Colonno* familiæ, cui feudali jure pertinet, nomen impoſuit. Ibidem *Leonardus Velſius* natus eſt, inter magnos ſui temporis viros merito adſcriptus. Illum enim *Ferdinandus* Romanorum Rex, & a conſiliis habuit, & in Hungarico bello contra Turcas copiarum omnium ſuarum Ducem elegit; ſed graviſſimo morbo correptus, nec ſuo muneri ſolvendo idoneus, Viennæ translatus eſt ibique occubuit omnibus deſideratiſſimus.

L. *Fracaſtorius*, cujus judicium nemo eſt qui non revereatur, divinum vocat Hendecaſillabon hoc, in epiſtola ad *Archium* noſtræ huic editioni adjecta.

LVI. De *Stephano Laureo Amasfordienſe* vide, quæ adnotabimus ſequenti Libro. *Emda* autem Urbs eſt in Orientalis Friſiæ parte, Geographis notiſſima.

LX. Ad *Nicolaum Madruzzi* Tridentinum, *Dinæ Archiæ* ſummæ virtutis fœminæ virum, Hendecaſillabon hoc ſcribit Poeta. De *Dina* vero lege *Mazzucchelli Vite* &c.

LXI. *Nicolaus Franco* Beneventanus, vir ſatis notus,

auſ

ſua amatoria carmina primum Mantuæ edidit anno 1547., ad quæ alludit Poeta. *Nicolaum* alium *Franco* Arcenſem eo temporis vixiſſe certum eſt, *Ambroſii* Hiſtoriographi patrem; ſed ex carminis ipſius ſententia apertum eſt, id ad *Nicolaum* illum ſcriptum eſſe, qui amatoria texuerat, noſtrique fortaſſe oſtenderat, ut ſuum de iis judicium proferret; nam anno demum poſt Archii mortem edita fuerunt.

LXII. De *Dioniſio Preti* alibi diximus. Regiolum, *Reggiolo*, pagus in Mantuana ditione, nunc Parmenſi Duci adjudicatus.

LXIII. *Hieronymus Avanzi* Veronenſis, doctiſſimus, & ſummi ingenii Poeta, de quo conſule *Maffeium*, & *Mazzucchellium* loc. cit.

LXIV. De *Macrino* hoc (tamquam celebri Poeta Patavino, qualis a *Vulpiis* dicitur) nullibi mentio eſt, quod ſciam; imo neque plures Patavini docti homines ſe ſcire faſſi ſunt. Videndum autem cenſeo num idem ille ſit *Joannes Salmonius Julioduni* natus, qui *Macrinus* a *Franciſco* I. Galliarum Rege, aliiſque propter corporis exilitatem dictus fuit. Is Lyricam Poeticen magnopere coluit; ex quo tantam gloriam accepit, ut alter Horatius diceretur. Obiit extrema ætate anno 1555.

LXV. *Andreas Alciatus* Mediolanenſis, primus Juriſprudentiæ antiquum decus reſtituit. Cum ex Gallia Italiam remigraſſet, eſſetque *Ferrariæ*, eum Hendecaſyllabo hoc orat *Archius*, ut ſe de lite neſcio qua, quid ipſe ſentiat, certiorem faciat. Ticini obiit anno 1559. Ejus emblemata potiſſimum ab eruditis commendantur. Vide ejus vitam a *Claudio Minoe* conſcriptam.

LXVI. *Petrus Aron* Florentinus, Muſicen maximopere coluit, ac de *Armonica Inſtitutione* Libellum patria lingua ſcripſit, quem *Marcus Antonius Flaminius* latina reddidit. Videſis *Doni la Libreria*, & *Mazzucchellium* fuſius in *Vite &c.*

LXVII. *Benedictus Lamprydius* Cremonenſis, Roma Patavium ſe contulit, ubi Grecas ac Latinas litteras majori quæſtu, quam gloria profeſſus eſt. Eum *Fe-*

dericus Mantuæ Marchio ad ſuos filios inſtituendos vocavit. Odas ſcripſit Pindarum emulatus graves, ſed injucundas. Mantuæ deceſſit anno 1540. & in D. *Andreæ* Templo poſitus eſt hoc carmine

„ Lamprydium carum Muſis hic Mantua ſervat. „

Eum laudat *Flaminius* in XXIII. Epigr. Lib. II., & *Jovius* in elogiis.

LXIX. *Maximilianus Auguſtus*, primus hujus nominis, torminibus ſublatus eſt anno 1519.

LXXI. *Julio* huic, cognomine *Romano*, qui diu Romæ moratus fuerat, tandem poteſtas facta eſt a *Clemente VII.* Mantuam Patriam ſuam redeundi, adnitente *Balthaſſare Caſtiglione Federici Gonſaga* Legato apud eumdem Pontificem M. Ille poſtea viarum Præfectus electus, munus habuit publicas omnes vias ita reficiendi, ut aqua pluvia in cloacas poſſet decurrere, & ab iis in Lacum confluere. Cum tot ejus in Patriam merita extarent, mortuus eſt anno 1546, ejuſque tumulo hoc dyſtichon inſculptum fuit

„ Romanus moriens ſecum tres Julius artes
„ Abſtulit, haud mirum, quattuor unus erat.

LXXII. Fortaſſe *Michael Foſſati* Veronenſis, de quo vide *Maffeium Ver. Illu.*

LXXIII. *Maffeius* autumat *Conternium* hunc *Franciſcum* illum fuiſſe, quem *Creſcimbenius* inter Italicos Poetas refert, & quem laudat *Franciſcus Turrianus* quadam Epiſtola apud *Bartholomeum Zucchi*, eumdemque de quo *Triſſinus* cecinit *Ital. Lib.* can. 24.

E l' Altilio, il Conternio, *il Vida, e 'l Molza.*

LXXVII. *Franciſci Mariæ Molzæ* Mutinenſis, Etruſca, & Latina elegantiſſima carmina, clariſſimus mihique amiciſſimus *Petrus Antonius Seraſſi*, non ita pridem, diligenter collegit. *Molſæ* mors contigit anno 1544.

LXXVII. *Raphael Santi* Urbinas, vulgo *Raffael* d'*Urbino*, in arte pingendi eo proceſſit, ut multi affirmare haud dubitaverint, eum antiquos artifices poſt ſe reliquiſſe, neque fore, ut ex poſteris ullus anteeat. Mortuus eſt Romæ anno 1520., & in *Panthæo* ſepultus his verſibus ſcriptis

„ Ille

Digitized by Google

„ Ille hic eſt Raphael, timuit quo ſoſpite vinci
„ Rerum magna parens, & moriente mori. „

LXXX. *Odericus* Comes *Arci*, natus anno 1441., *Ceciliam Gonſaga* primam uxorem habuit, ex qua Nicolaum noſtrum ſuſcepit: ea defuncta *Suſannam* de *Collalto* duxit. Pinacotheca Com. *de Arco* Mantuæ Tabulam habet eleganter pictam, quæ *Odericum* hunc refert, in qua ſcriptum eſt ita: *Odoricus VI. Maximiliani I. Cæſaris a ſecretioribus conſiliis Penetra, Ripam, omneque Laderanum ab hoſtibus armis redemit. M.* (*ideſt moritur*) *anno* 1528.

Digitized by Google

NICOLAI ARCHII
COMITIS
NUMERORUM
LIBER III.

I.

PROSOPOPOEJA RHODOMONTIS

Ad LYSAM Conjugem.

DESINE me, LYSA, aſſiduis urgere querelis,
Nec profectura voce ciere deos.
Parce incompoſitos patrio de more capillos
Scindere, & immeritas ungue notare genas.
Indignum eſt mœrore ſequi RHODOMONTA, nefaſque
Imperia & leges increpuiſſe deûm.
Cum mea præreptæ compenſet tempora vitæ
Gloria, ſitque annis longior innumeris.
Me doctæ poterunt nuſquam non dicere chartæ,
Nullaque non ætas ferre per ora virûm.
Longa dies cineres abſumit & oſſa ſepulcris;
Clara ſed Heroum facta abolere nequit.
Si tamen exoptas placidos requieſcere manes,
Neu vager incertis ſedibus umbra nocens :
Si neque communes læſi vivens hymenæos,
Mutua nos poſtquam junxit amore fides;

Eſ-

Digitized by Google

Effice ne primo quiſquam potiatur amore,
Occupet aut caſti regna ſecunda tori.
Ut tua fax noſtro primum eſt accenſa calore,
Vivat ad extremos ſic tua flamma rogos.
Evadne exemplo tibi ſit, ſit Laodamia,
Utraque inexſtinctæ fama pudicitiæ:
Ardoriſque tui ſpecimen ſit regia conjunx
Quæ potuit cineres ebibere ore viri.
Illius æterno devinctæ lumina ſomno,
Egregium vivax fama recenſet opus.
Nec tamen ut moriare precor, neque, Lysa, dolore
Victa, maritali præcipitere rogo.
Te cupio erepti cura exardere mariti,
Et tantum viduo ſecubuiſſe toro.
Difficile eſt. verum efficies, licet ipſa juventæ
Lætaque formoſi tempora veris agas.
Aſpice ut exoſa eſt alias Victoria tædas,
Gentis & una tuæ gloria Parthenopes:
Ut magni manes veneratur caſta mariti,
Ut famæ æterna conſecrat hiſtoria.
Invicto felix Victoria digna marito:
Non alia ille Heros conjuge dignus erat.
Hæc volui dixiſſe olim: ſed tenuia Parcæ
Deducta inſtabant rumpere fila colo.
Ter volui mandâſſe tibi, ter frigida lingua
Subſtitit; & gravius id quoque morte fuit.
Dum potui tamen, ipſe tuos moribundus ocellos
Aſpexi, & lacrimis ora rigata piis.
Nec dolui, ante diem ſpoliari lumine vitæ,
Sedibus aut patriis occubuiſſe procul.
Nec gemui patris ærumnas, fratriſve querelas,
Qui raptis de tot fratribus unus adeſt:
Non aviæ, vidit quæ funera acerba nepotum,
Et potuit tantis conſenuiſſe malis;

Tam ſubito indolui divelli a corpore amato,
Tam ſubito a cara conjuge abeſſe mea :
Pro qua tot pugnata mihi ſunt prœlia; quæ me
Præpoſuit magnis ſollicitata procis.
Quam cito mors noſtri fructum intercepit amoris!
Quam cito me optato ſuſtulit e gremio!
Ut nubes cælo quæ candida ludit aperto,
Vere novo, Zephyri tuta favore volat;
* Illa ſupervehitur terras, ** illa aere pendet
Compoſito, atque humeros ardua paſcit Athô:
Mox alii atque alii flantes animoſius Euri
Hanc glomerantque, rotantque, æthera perque ferunt;
Et modo præcipiti gyro, modo turbine fertur,
Et *** raptim in ventos ſolvitur aereos :
Sic mea vota, & ſpes evanuit omnis in auras
Irrita, & Ioniis ſcripta natavit aquis.
Optabam hibernas tecum traducere noctes
Horrida poſt duræ tempora militiæ:
Optabam exhauſtos tecum conferre labores,
Et Tuſca auſpiciis oppida capta meis :
Ut virtute mea, atque auſis felicibus Ancon
Clementis magni **** ceſſerit imperio:
Utque triumphatis rediiſſem mœnibus Arri,
Quæ modo victori cauſſa fuere necis :
Utque animo infractus longe majora pararem,
Extremos bello tendere in Æthiopas;
Atque illic nomen factis protendere clarum,
Juſtaque magnanimi Cæſaris arma ſequi.

Cer-

* *Jamque*,
** *Jamque*.
*** *Tandem*.
**** *Acceſſerit*.

Digitized by Google

Certum erat Æmoniis tentoria figere campis,
Et Marte indomitos perdomuiſſe Scythas:
Aurato e ſolio dejectum extrudere Regem,
Aut urbes captum ducere ad Auſonias.
Tecum intermiſſas meditabar viſere Muſas,
Aptare & Lyricis carmina Tuſca modis.
Carmina nam recolo quæ (dum fera claſſica ceſſant)
Luſi Pieridum non renuente choro.
Nec Phœbea minus colui quam Martia ſigna:
Utraque & hinc meritis laurea parta meis.
Sed quid profuerunt vota hæc? ſi vulnus adactum eſt
Lethale, & victa fulmen ab arce venit?
Scilicet egregiis hominum Mors invidet orſis,
Odit neſcio quis grandia cœpta deus.
Sic raperis, prima Memnon fraudate juventa,
Sole coloratos dum ſubigis populos.
Sic necis impavidos ſequeris dum, Druſe, Suevos,
Et matri & patriæ triſtia fata refers.
Florentes ætate ambo & præſtantibus auſis;
At non humani funeris una via eſt:
Quippe meo Marcus fato atque Trivultius olim;
Illuſtreſque armis tot cecidere duces;
Gallica cum Ticinus transfixa cadavera volvens,
In mare purpureis territus iret aquis.
Sic Medices heros gentis, dum Rhætica vexat
Agmina, litoribus concidit Eridani.
Sic cecidit Romæ muro dejectus ab alto
Dux noſtro genitus ſanguine, Martis honos.
Nec fuit indignum, his etiam Rhodomonta ſub armis
Pro re Romana non dubitâſſe mori;
Signa pilis poſtquam mihi ſunt fulgentia ſenis
Aurea ſupremo tradita Pontifice.
Quæ licet attulerint pulchræ ſolatia morti,
Mors ſit ut hæc factis altera vita meis;

Hoc tamen æternum eſt caſu vel acerbius omni,
Nondum æquaſſe * animis facta ſuperba meis.
Viribus haud aliis poteram cecidiſſe : nec ulla
Agmina ſe audebant obvia ferre mihi.
Devoveo quicumque igitur mala ſulphura nitro
Miſcuit, & vacuo clauſit in ære pilam :
Dignior inventa primus qui mugiat arte,
** Et penſet proprio damna aliena malo.
Militiæ ut veteris morem corrupit! ut ille
Et belli virtutem abſtulit atque virûm !
Quam melius quondam gladio pugnabat acuto,
Conſpicuuſque haſta cominus ibat eques!
Ibat eques, campoque hoſtem exſpectabat aperto,
Nec quicquam ille doli quod metuiſſet, erat.
Regia proſpectans virgo de turribus altis,
Huic uni optabat poſſe placere viro.
Mos erat hic bellare *** viris: mos ille probandus,
Dum ſine fraude juvat conſeruiſſe manus.
At nunc tacta ruunt furtivo corpora plumbo :
Vix oculis ignem percipis, acta pila eſt.
Non curat clypeum, non umbonem horrida grando;
Effugiunt medicas vulnera tætra manus.
His mea Mavorti vel cedere neſcia virtus
Occultis hominum decidit inſidiis :
Quam nec ferri acies potuit, nec Noricus enſis
Lædere, nec validâ tela retorta manu.
Quæ ſupereſt igitur rapti genitoris imago,
(In te omnis quoniam ſpes, Pater alme, ſita eſt)
Alme Pater, præſens terris qui numen haberis:
Si tanti emerui numinis officium;

* Sic

* *Meis facta ſuperba animis.*
** *Qui.*
*** *Olim.*

Digitized by Google

* Sic fidei commiſſa tuæ, tibi credita ſurgat,
Dedita & uſque tuis ſerviat imperiis.
Te decet in ſobolem patris transferre favorem:
Illa ibi referat meque meamque domum.
Nec minor accedat nati, quam cura pudoris,
Lysa; tuum cælo nomen uterque feret.
Subjiciat ſe ſe maternæ parvulus umbræ:
Rideat ad matris oſcula dulce puer:
Colludatque tibi, & curas levet ille moleſtas:
Tecum incorrupto dormiat in thalamo.
Donec vernanti ſuccreſcens flore juventæ
Proroget antiquum ſtirpe novetque genus.
Aſſueſcat victor patriis animoſus in armis
Præferre exuvias & ſpolia ampla domum.
Acer eques Parthos eat & pedes acer in hoſtes;
Nôrit & æque æſtus ac tolerare nives.
Quodque meis interceptum eſt florentibus ** annis,
Virtute atque annis expleat ille ſuis.
Tu ne hæc vana putes inſomnia, neu fallacem
Umbram nocturnis ludere imaginibus.
Ipſa tibi advenio nemorum de ſede beata,
Quæ loca magnanimi ſemideique colunt.
Me lacrimæ huc egere tuæ. jam comprime luctum;
Mandata hæc luctus, Lysa, levamen habe.
Sit tibi amâſſe ſatis, cineri ſat juſta dediſſe,
Sat pro me ſuperis vota tuliſſe deis.
Jamque vale; cogor ſocios inviſere manes,
Et matutinis cedere ſideribus.
Exſerit Oceano jam vultum Aurora rubentem,
Inviſis jam me Lucifer afflat equis.
At tu in amore meo ſic perſtes, Lysa, fidelis,
Ut te etiam ſtabili proſequor umbra fide.

II.

* *Sit.*
** *Orſis.*

II.

CANTELMÆ EPISTOLA

Ad Filios adoptivos.

DIcite, adoptivi quondam, nunc fabula, nati,
Quid juvat in mutum jurgia ferre caput?
Quid juvat injuſtis manes urgere querelis,
Nec ſinere optata me requie uſque frui?
Quod vos fraudârim votis, & divite cenſu,
Tartareos fertur rumor ad uſque lacus.
Auſus & eſt veſtrûm quidam exprobrare labores,
Longaque fruſtrati tempora ſervitii.
Quod vos ſpe falſa dicar lactâſſe; fidemque
Promiſſam toties non tenuiſſe, grave eſt.
Sed potius Stygiis remorata coercear undis,
Et vaga ab Elyſiis exſulet umbra locis;
Tiſiphoneque adſit tortos innexa colúbros
Ardenti veniens in mea colla face,
Quam peccâſſe putem, quam vos luſiſſe pudori
Sit mihi, vel facti pœnituiſſe velim.
Audite hæc, liquidi colitis qui litora Mincî,
Quos Manto terrâ divite mater alit.
Ne me forte aliquis delapſam errore putaret,
Evictam tantis aut titubâſſe malis.
Quid ſi iterum ſuperas fatis revocemur ad oras?
Mens eadem nobis quæ fuit ante, foret.
Certum erat (ingenue ut fatear) dare verba protervis,
Atque pari veſtros excipere arte dolos.
Aurea cum vobis tantum Cantelma niterem,
Quantum ulli arriſit femina blanda viro,
Ecquis me veſtrûm haud ficto dilexit amore?
Quid niſi captandi ſpeſque animuſque fuit?
Ecquis

Digitized by Google

Ecquis ſermones expreſſit corde fideles?
Ex animo dixit quis mihi blanditias?
Sæpe ſubit cum quis viventi munera miſit,
Dixit &, Hæc animi ſunt monumenta mei.
Munera ſubriſi, ſimulataque verba notavi:
Hac quoque me finxi credulitate capi.
Sæpe ego ſum cauſſata malum, & defeſſa jacebam
Componens querulis triſtia verba modis:
Rumor ut hic veſtras gratus demulſerat aures,
Quiſque meam accelerat corde micante domum.
Atque aliquis forſan ridens, ut triſtior eſſet,
Arida clam fuſis lumina tinxit aquis.
Dumque avidus gemmas partiri geſtit & aurum,
Parcarum longas increpat uſque moras.
Quid referam ut nigros etiam promiſerit agnos,
Truncâſſent celeri ſi mea fila manu?
Vana tamen Zephyri jactârunt vota per auras:
Tunc flêrunt, noſtros longius ire dies.
Vidi ego qui jam jam morituræ adſtabat, & ægræ
Adtulit invitâ pharmaca ſera manu.
Miſcuit, utque ferunt, liquidum male conſcius aurum,
Inque ſuum vitam diſtulit ille malum.
* Novi ego quam triſti celaret gaudia vultu.
Mens hominum tantis æſtuat inſidiis!
Ingenium quod ni cognôſſem callida veſtrum,
(Ut facile in fraudes eſt genus omne virûm)
His capta illecebris potui Cantelma teneri.
Credenti, inſidias compoſuiſſe, leve eſt.
Vobis naturâ præſcriptum eſt fallere & arte;
Fallere ſemper anus, gloria rara fuit.
Teſtis erit Circe fallacis crimen Ulyxei,
Quam liquit fugiens per maria alta rate.
Illum

* *Vidi*.

Digitized by Google

Illum non potuit currenti ſiſtere rhombo,
 Illum non magicis flectere carminibus.
Ingratum hoſpitio ut fuerat dignata ſuperbo,
 Debuit argutis perdere litoribus :
Aut illum in torvas facies mutare animantum,
 Ut poterat ſolito diva miniſterio.
Non tamen aucupio licuit me illudere veſtro,
 Ut caderem in tenſas præda petita plagas.
Scilicet eſt aliquid Gallos penetrâſſe comatos,
 Vidiſſe Hiſpani regna ſuperba ſoli;
Et Rhenum, Rhenique urbes tranâſſe bicornis;
 Tot terras, populos, totque adiiſſe freta.
Naturæ eſt aliquid noviſſe arcana latentis,
 Percurriſſe animo tot rapidi aſtra poli.
Tot verſâſſe manu victura volumina vatum;
 Fallere CANTELMAM non potuiſſe tamen.
Ergo hæc femineo ſuccreſcet gloria honori :
 Hæc mihi poſt cineres fama ſuperſtes erit.
Hoc etiam facto Letum illætabile riſit,
 Et fuit infernæ mollior ira deæ.
Me fortunatis poſuit Proſerpina campis,
 Ver ubi perpetuo gramine veſtit humum.
Illic extollunt me laudibus Heroinæ,
 Et quæcumque aliquo femina læſa viro eſt.
Turba mihi aſſurgit matrum, & * veneratur euntem,
 Dum ſpatior felix per nemus Elyſium.
Meque aliquis digito oſtendens miratur, & inquit:
 Hæc potuit doctos fallere cauta viros.
Audiat in primis noſtræ hæc ſolatia mortis,
 Sentiat has voces diva ISABELLA meas,
Heredem extremis libuit quam ſcribere chartis,
 Ut famæ accedat laus geminata meæ.

Illa

* *Comitatur.*

Illa mihi jam jam morituræ lumina clauſit,
Et flens extremum dixit Ave atque Vale.
Hæc mihi non ſolita eſt viventi innectere fraudes:
Novi, illam a parva virgine habere fidem.
Quam bene honorato componens membra ſepulcro,
Tura dabit cineri non inodora meo!
Placabit ſuperos votis, purgetur ut omne
Contractæ reliquum quod mihi labis erit.
Templaque conſtituet noſtris mandata tabellis,
Et ſacra virgineo tecta habitanda choro.
Vive igitur, mea dulcis Hera, & felicibus annis
Subrepat capiti tarda ſenecta tuo.

III.

AD STEPHANUM LAU. AMARSFORDIENSEM,

Ut auferat Martianum Capellam.

HANC tu ni procul auferas Capellam,
Ni, LAURENS, abigas febriculoſam,
Inſulſam, illepidam, atque faſcinatam,
Omnem tu inficies gregem Latinum,
Et paſtor SADOLETUS oderit te.
Nam nec turgidulas refert papillas,
Nec mulctralia lacte, caſeove
Fiſcellas replet. Odit hanc Menalcas;
Hanc paſtor fugit optimus Britannus,
Peritique boni gregum magiſtri
BEMBUS, FLAMINIUSque, ROMULUSque
FRASTORUSque ſuis repellit hortis.
Quæ frugi, neque bella, nec venuſta eſt;
Nec carpit cythiſum, aut thymum virentem,
Sed paſcit lolium, & malam cicutam,
Decerpens aconita, ſtymphalimque,

Et

Et dumos veteres & obſoletos :
Vaſtat morſibus herbula petulcis,
Diſſipans violaria & roſeta :
Inſultat quoque floribus tenellis;
Et rorem pede proterit marinum :
Vineta, arbuta rodit, atque olivas.
Infelix loca ſaltuoſa quærit,
Montium avia luſtra pervagatur :
Speluncas petit; horridos receſſus,
Ignotaſque domos ferarum agreſtum
Curſu ſæpe fatigat incitato :
Numquam non agitur furente aſylo,
Dum pendet ſcopulis periculoſis.
Spernit flumina, limpidoſque fontes :
Limo ſordidulas bibit paludes,
Olenteſque gravem lacus mephitim.
Infecta eſt ſcabie; atque peſtilentes
Abſceſſus, papulæque hiant edaces.
Huic artus populatur ignis ardens.
Illam in Quintiani, aut Bononienſis
Agas paſcua & Impii receſſus.
Non hæc ſacrificanda bellua Baccho :
Orco eſt victima fœda dedicanda,
Infelicibus enecanda cultris,
Ne morbos referant oves Latinæ,
Aut contagia Romuli capellæ.

IV.

In Pædagogos,

AD CAMILLUM CAPILUPUM.

PÆDAGOGULI, abite, abite, peſtes,
Iſtinc ferte pedem, invenuſti, inepti,
Inviſi

Digitized by Google

Inviſi pueris bonis, maliſque
Abite in miſeram crucem, exſecrati,
Sæcli perniciesſque litterarum,
Lymprandi, Metriique, Fuſiique,
Prandini, Ochinari, atque Juliani,
Scopæ &, Boreæque, & Rutiliani.
Quid vos, quid juvat, hinc & inde nomen
Heroum lacerare, blaterones?
Qui vos vel minimo aſſe venditarent;
Immo nec minimo aſſe venditarent;
Venales neque enim eſtis, impudici,
Digni nec minima æſtimatione:
Viles, queis neque campus eſt, neque hortus.
Jam per compita, per fora, & theatra
Sciſſo palliolo, togaque trita,
Pexi candidulam comam irretortam
(Ut veſter ſolet eſſe mos) per urbes
Grave inceditis, ore gannientes
Fœdo neſcio quid rude atque ineptum.
Bembum, Flaminiumque, Romulumque,
Frastorumque meum, undequaque doctos,
Fucos dicitis eſſe litterarum?
Solum Quintianum, atque Marcianum
Capellam omnibus eſſe præferendos?
Pape! o judicium omnibus probatum!
Pape! o judicium acre, & æſtimandum!
Quid? quod dicitis eſſe Rhetores vos,
Solos dicitis eſſe vos Poetas?
Et nunc audio quod meum Catullum
Auſi inceſſere morſibus caninis
Eſtis vos, temerarii cinædi.
Quod ſint carmina inuſitata doctis,
Quod fragoſa ruant, cadant, ferantur

In-

Inſtar præcipitis ruentis undæ
Altis montibus atque ſaltuoſis,
Illa incompoſita eſſe judicatis?
Veſtris auribus illa diſſonare?
Non hæc dentibus eſca digna veſtris:
Non has olfaciunt roſas aſelli.
Proh dii! progenies male ominata!
Fertis toxica quanta monſtruoſi,
Implentes pueros malis venenis!
Fertis quanta aconita! quanta nec fert
Tellus Theſſala, Boſporive pontus.
Quis tandem manet exitus ſceleſtos?
Vos Ixionas eſſe, Siſyphoſque
Omnes crediderim, & magis nefandos.
Pœna Ixionis eſſe, Siſyphique
Dignos crediderim, atque ſæviore.
Ergo inſurge tuis, CAMILLE, Jambis,
Doctum qui numeris refers CATULLUM:
Inſurge Hendecaſyllabis trecentis:
Illos exagita ad necem, crucemque
Labe omni ſcelerum omnium inquinatos;
Quam non Eridani unda, Minciive,
Nec quanta eſt queat abluiſſe Tethys.

V.

IN PATELANUM PINTIOMASTIGEM

ODE.

QUID virum vexas, PATELANE, amicum
PINTIUM, oblatrans, veluti canis qui
Inferus ſontes animas trifauci
Territat ore?

Quem

Digitized by Google

Quem Tridentinæ ſtupuere gentes
Olim & orantem, & pueros docentem:
Quem modo Ocnæi celebrant nepotes,
  Stulte, laceſſis?
Laurea quem ornavit Apollinari
CÆSAR invictus, meritiſque frondem
Fronte quæſitam poſuit, deditque
  Eſſe poetam.
NAVIGER quem tot titulis beavit,
Ille Muſarum decus Italarum,
Quem flet ereptum Venetus, diuque
  Flebit ademtum.
At nihil morſus, rabidoſve rictus
PINTIUS curat * pædagogi. obaudit
Ille latratus miſerorum; ineptaſque
  Unius aſſis
Æſtimat nugas. Caput infacetum,
** Sævis incaſſum, velut unda vaſti
Frangitur circa ſcopulum profundi
  Proficiens nil.
Illa non ſaxum labefactat hærens,
Excitet ſpumam licet, atque firma
Fluctuans radice tonet, minaci
  Flamine pulſa.

K VI.

* *Plane in Cod. & Mantu. etſi dubium in Com.*
** *Sic & hoc loco.*

VI.

AD (1) VOLCADIUM

ODE. †

VOLCADI, (2) tibi quis ſcelus hoc perſuaſit, amice
Ut ſcripta amata perderes?
Scripta mei numquam ſatis admirata TRYPHONIS,
Labore lecta maximo.
Fulvo auro pretioſa magis, viridique zmaragdo,
Qualem æquor Indicum tulit.
Scilicet ut ſcombris tunicas, (3) garoque parares,
Dareſque caſeo togam.
Hæc promiſſa fides? hæc ſunt mandata tibi quæ
Dedi rogans & obſecrans,
Ut gemmas inter ſervares; digna perenni
Cedro, vel arca eburnea?
Gratia nil fortunati, (4) gravitaſve TRYPHONIS
His, impudice, profuit?
Infelix! (5) quis te manet exitus? irruet in te
Atrox Iambus, irruet.
Inviſuſque (6) bonis laqueo vitam, improbe, claudes,
Vel igne dilues notam.
Aut ſi non homines curant tua facta nefanda,
Dii non inulta liquerint.

VII.

IN HIEMEM.

TRISTIS Hiems, cæli rabies, & dedecus anni,
Quam te conſpicio invitus nive tempora canâ
Horri-

† *Cum alibi fuerit edita hæc Ode, has animadvertimus Var. Lectiones.* Vulpius.
(1) *Ad Cornelium Rufum* (2) *Corneli* (3) *barroque* (4) *nil fama.* (5) *ergo qui te manet exitus? in te* (6) *tibi.*

Digitized by Google

Horrida conſperſam! quam te, fœdiſſima rerum,
Odi conſputam ſquallentibus ora pruinis,
Innexamque comam glacie, impexoſque capillos!
Ut mallem coleres Scythiam, Mœoticaque arva,
Regnaque Riphæo ſuppoſta nivoſa tyranno;
Aut peteres Tanaim, aut glacialis litora ponti!
Optarem, noſtrum numquam te inviſere cælum.
Namque ego te matrem Eumenidum, Mortiſque ſororem
Crediderim, emerſam diris de faucibus Orci,
Tempore quo Iapetum Tellus, ſævumque Tiphoea
Progenuit; vel cum peſtes immiſit acerbas
Juppiter ulciſcens audacis furta Promethei.
Tu Phœbo inviſa es; fugiens te vix videt, & ſe
Oceano condit magno: tunc ima pererrat
Signa; breveſque dies, & lucem apportat iniquam.
Tunc circumfuſis contriſtas nubibus orbem,
Nec per te apparent duratis gramina pratis.
Tunc fœdæ rerum facies, & mortis imago.
Exſpoliata ſuis viduatur honoribus arbos,
Atque, olim celeres, curſus frenantur aquarum.
Te duce concurſant impacato aere venti;
Proſternunt ſilvas animoſi, & prœlia miſcent.
Heu male quam teneras defendunt lignea citros
Tecta! ſuis arent morientia citria ramis.
Agricolæ ignavi ducunt longa otia tectis
Ante focum: nec ſe paſtor magalibus effert:
Nec maria exercet ſuſpenſis navita velis:
Strymoniæque grues fugiunt, & tranat hirundo
Æquora, nec noſtris audet ſe credere terris.
Quid dicam, quales etiam contraria vitæ
Humanæ inducas diverſos frigore morbos?
Nam mentes hominum cogis torpere veterno,
Et patulas reſonis imples tinnitibus aures;

Naribus, & per te ſalſus liquor effluit ore.
Ipſa gravi quaſſas mortalia pectora tuſſi,
Articuloſque ſecas contractis noxia nervis.
Es mihi nunc etiam nodoſam excire podagram
Auſa (ſcelus!) quæ me aſſiduis cruciatibus angit,
Nec patitur dulces Muſarum carpere fructus,
Aut tectis efferre pedes. huic arida febris
It comes, & miſero nativum perbibit humorem,
Exhauritque ſuo vitalem fonte calorem;
Uſque adeo inſinuat ſeſe, & pede labitur imo
Humor agens morbum, & tendit gravis uſque deorſum,
Ut torrens auctus nivibus de monte ſolutis,
Aut pluvia, aut vernæ liquefactis flatibus auræ,
Aggeribus ruptis clauſtra indignatur, & omne
Indupedimentum tollit, ſecum omnia volvens,
Et pecus, & dominos, & raptas cum lare ſilvas.
Non herbæ, aut fomenta queunt lenire dolorem:
Ora cibi, placidi ſunt neſcia lumina ſomni;
Præque dolore ſitis fauces exſiccat anhelas,
Et ſemper querulæ volitant ad ſidera voces.
Fortunatæ Hiemem quæ neſcivere malignam,
Fortunatæ iterum gentes quas aſpicit æquis
Sol oculis, ſpectatque nitenti Juppiter aſtro
Arridens! illis non ſunt obnoxia morbo
Corpora, ſed longâ ſolvuntur feſſa ſenectâ.
Tantum fœcundi demittit Juppiter imbris,
Atque homines cælique bibunt violaria rorem;
Unde etiam gens illa extentum durat in ævum.
Illis perpetuum ridet Ver, menſe Decembri
Exſultat lætus volucrum concentus in agris,
Formoſa æternis veſtitur floribus arbor,
Et roſa ſemper hiat vernans, clementia cæli
Quam fovet, & tepidis demulcent flatibus auræ.

VIII.

VIII.

IN QUINTIANUM.

ARMA, *virum*, *turmas*, *vexilligeraſque catervas*,
Ponit, ſi quid avet ponere, Quintianus:
Et *ferrugineum* corvino gutture *ferrum*
Ad Melæ ructet litora Quintianus.
Exoritur clamorque virum, *ſtridorque rudentum*;
Illius hoc ſemper carmen in ore ſonat.
Damnat avum, patremque, illi qui nomen ineptum
Impoſuit: dici vult mage *Quirtiarus*.
Sive docet pueros, frendit dente, ore, labriſque,
Sidera dira ruant, *cornibus antra rigent*.
Sive orat, cum defunctum veſpillo ſepulcro
Condit, & *Exſtructo ſtat Libitina rogo*,
Obſtrepit & ſtridens. Dicam, Jovio auſpice, ſemper
Errat *Quirtiarus*, Pieridum obprobrium.

IX.

IN BOREAM PÆDAGOGUM.

SI quiſquam ſuperûm tandem miſeratus ab alto
Ocnæa Boream pellat ab urbe procul,
Cernet odoratam lauri ſuccreſcere ſilvam
Mincius, & Muſas ludere propter aquas.
Quas olim rabidi metuentes frigora venti
Aut fugiſſe procul, vel latuiſſe reor.
Cernere erit violaſque, roſaſque, & amœna vireta,
Prataque veſtiri gramine quæque ſuo.
Cernere erit, ſine nube dies fulgere ſerenos,
Viciniſque albas montibus ire nives.
At contra ſi Mantoas perflaverit oras,
Afferet arboribus perniciem atque ſatis.

Digitized by Google

Quid gravius? Latiæ tenebras & nubila linguæ
Inducet flatu peſtifer horribili.

X.

DE EODEM MORTUO.

PACATUM pelagus, cælum ſperate ſerenum,
Agricolæ, & nautæ; nam periit Boreas.

XI.

IN FURIUM.

FURIUS eſt tenuis. quid ni cum tot mala, totque
Patrârit ſcelera, atque impia flagitia.
Et ſapiens ſero eſt; nam ſero cogitat, ipſum
Ultorem eſſe Deum tot ſcelerum, & Furias.

XII.

DE POLLINO.

NOLI admirari cur Prabia jugera vendat
Pollinus: in promtu cauſſa parata ſibi eſt.
In primis damnoſa nimis vicinia Sarcæ eſt:
Iccirco dixit, Sarcias unda, vale.
Præterea horribilis flabat per paſcua ventus;
Vir bonus haud poterat tot mala ferre diu.
Illum cura domi, illum prati cura gravabat:
Diſtabat nimium villula ab oppidulo.
Nunc penitus * totas dimiſit pectore curas,
Atque idem vacuus nunc foris, atque domi eſt.

XIII.

* *Tota faſtidia mente fugavit.*

XIII.

AD MAXIMUM RIPP. JURISCONSULTUM.

INTERMISSA, iterum cur, MAXIME, carmina tentas,
Atque ætate gravis mollia plectra moves?
Nil cum Cauſſidico eſt ſacris commune Poetis;
Diverſum eſt, ut ſcis, hujus & hujus opus.
Siſyphio leges tu volve revolve labore,
Unde cliens referat nomen ad aſtra tuum:
Unde tibi aſſurgant æquata palatia cælo,
Et tua non modico capſa ſit ære gravis.
AURELIO citharam, caroque relinque nepoti:
Aptus uterque ſacras ſollicitare deas.
Illis vivaces circumdent tempora lauri,
Fortia dum magni Cæſaris acta canunt.
Tu cave ne Cyrrham coneris ſcandere. Muſas
Furcillis fama eſt præcipitare ſenes.

XIV.

AD JACOBUM CALANDRAM.

REMITTO tibi carmen invenuſtum,
CALANDRA optime, peſſimi poetæ,
Immo toxica ferrei Fiæræ,
* Inſulſi, illepidi, & ſenis recocti.
Quæ dum monſtra lego male auſpicata,
Fato neſcio quo malo & ſiniſtro,
Jamdudum ſtomacho miſer laboro.
O quæ pharmaca nauſeam coercent
Excitam mihi? quis recurat ægrum?
Sunt faſtidia delicatiorum

* *Veſani, ſtupidi, atque peſtilentis.*

Menſarum; atque cibis ineſt amaror.
Quare vos rogo quotquot eſtis omnes,
Adeſte, o medici boni, malique,
Meque aſpergite amaraco, & fovete:
Ferte unguenta, roſaſque, ferte amomum,
Ferte & cinnama odora, ferte mentam,
(Si quicquam hæc ſtomachum levare poſſunt)
Veſtris artibus hanc luem fugate,
Neu ſerpat finite altius venenum.
At tu mi, obſecro per tuam ſalutem,
Iſthæc abjice toxica, o CALANDRA,
Circes graminibus nocentiora.
Neu te, neu inficiant meum SABINUM;
Aut immergite Mincio propinquo,
Aut tantum ſcelus expiate flammis.

XV.

IN BAPTISTAM FIÆRAM.

IPSE ſibi poſuit tumulum, titulumque Fiæra;
Mortuus, an vivus ſit, dubitat populus.

XVI.

IN EUMDEM.

JACTAS te medicum, Fiæra, vatem;
Hoc eſt te medicum, Fiæra, fictum.

XVII.

IN EUMDEM.

SI vivo tumulum tibi paraſti,
Cur, Fiæra, igitur mori moraris?

XVIII.

Digitized by Google

XVIII.

IN ZOILUM.

Dulces Lacrimulas noſtras adſcribere Cottæ
Auſus es obliquo, Zoile, judicio.
Non tamen iraſci tibi debeo, nec volo. verum
Debeo; quod vati conferor egregio.
At contra, e tumulo indignatus Cotta: Quis iſtas
Lacrimulas noſtris verſibus inſeruit?

XIX.

IN EUMDEM.

Non poſſum non triſtari, quod crimine furti
Argueris noſtras, Zoile, Lacrimulas:
Non poſſum quoque non lætari, * adſcripſeris idem
Quod noſtras Cottæ, Zoile, Lacrimulas.
Nam mea dum confers docto mala carmina vati,
(Juppiter!) ut nullo es, Zoile, judicio!

XX.

IN EODEM.

Neſcio utrum te Cotta magis, vel debeam ego ipſe
Odiſſe; ambos qui crimine conſceleras.
Furta mihi objectas, puerilia carmina Cottæ.
O hominem veſano ingenio, atque malo!

XXI.

* *Adſcribere es auſus.*

Digitized by Google

XXI.

IN SILVIUM.

PHilosophum, Silvi, profiteris; nec nego certe
Quin barbam, & mores non habeas Cynici.

XXII.

IN MALUM MARITUM.

COmponi tumulo mandas cum conjuge, cum nil
In vita ambobus compoſitum fuerit.

XXIII.

DE GALLIS.

ERrant qui dicunt, Gallos non poſſe potiri
Italia: hanc Gallis quis tumulum eſſe neget?

XXIV.

AD TURCUM.

SI ſapiens eſſes, morereris, Turce, libenter:
Vita homini infami eſt mors alia, atque alia.

XXV.

IN HERMAGORAM MALUM MEDICUM.

DUm rapis hunc Medicum, tibi, Mors, inimica fuiſti:
Vivendo hic poterat te ſatiare ſatis.

Digitized by Google

XXVI.

AD CARINUM.

NIMIRUM es ſapiens, Carine; namque
Qui ſapit, ſapiens poteſt vocari.

XXVII.

AD EUMDEM.

CARMINA tam graviter ſapiunt tua, docte Carine,
Quam graviter fœdi ſpiritus oris olet.

XXVIII.

CANOPO DEDICAT LYRAM ARIONIS.

MAGNE CANOPE, Lyram pelago qua vectus Arion
Tergore delphini eſt, numina ſalſa ferunt:
Quam pater ipſe tuos olim ſervârat in uſus,
Deberique tibi noverat Oceanus.
Hac reſonante, choros ducent placido æquore Nymphæ,
Et delphin veteris conſcius officii.
Adferet aſſurgens ramoſa coralia Nereus,
Neptunuſque ſalax oſtrea mille feret.
Hanc igitur tibi habe; tali tu munere dignus;
Nam cælo fixam fabula fingit anus.
Felix nauta ſono ſiſtes vaga flumina dulci,
Et cantu iratas pacificabis aquas.
Sic tibi Pactólus gemmas innectat & aurum,
Ut poſſint meritas circumiiſſe comas;

XXIX.

Digitized by Google

XXIX.

DE VENERE THEJA.

Sic dicta a ſuburbano quodam Mantuanorum Ducum amœniſſimo, quod, quamvis dirutum, adhuc nomen The *ſervat.*

CYPRIA frenatis percurrens æthera cycnis
FEDERICUM, Theique aurea tecta videt.
Roma, vale, Cyproſque, inquit: hic otia degam:
Hic Roma, hic Cypros: Mars meus hic habitat.
Antehac ſi me igitur dixerunt Cyprida vates,
Ex iſto dicar tempore Theja Venus.

XXX.

AD EAMDEM.

THEJA Venus, tibi ſic dilectæ ad mœnia Mantûs
Alludat patriis garrula Nympha modis:
Sic tibi curvatis niteant mala aurea ramis,
Surgat & intonſâ myrtea ſilva comâ:
Quem modo MARGARITE dias in luminis oras
Sidere felici, Marte parente, dedit,
Ridentem puerum dulce ad patris oſcula ſerves,
Et tenero foveas molliter in gremio;
Paullatim imperii donec maturus habenis,
Et caput & fines temperet Eridani.

XXXI.

Digitized by Google

XXXI.

VOTUM LUZASCHI

Ad VENEREM Thejam.

THEJA Venus, cui tam formoſa palatia ſurgunt;
 Cui nova templa nitent auſpice FEDERICO,
Hæc tibi LUZASCHUS tuus & Mavortius heros
 Triginta horrentum corpora ponit aprûm,
Quos ille ad ripam Ticini Inſubribus arvis
 Proſtravit, multam non ſine ſtrage canum.
Corpora quæ informi pendent horrentia rictu,
 Et dente, & ſætis, ſanguine fœda rigent.
Vulneris ipſe ſui, atque tui haud oblitus * amantis,
 Vindicat occiſis vulnus utrumque feris.

XXXII.

VOTUM ARCHINTHI AD DIANAM.

DUM parvi ſequitur Rheni in convallibus urſam,
 Venanti ARCHINTHO, caſta Diana, fave.
Effice ne toties ſilveſtribus abdita luſtris
 Ludat anhelantes per nemora alta canes:
Neu toties juvenem curſu fugitiva fatiget,
 Sed cadat in tenſas præda petita plagas.
Tunc tibi longævi pendebunt cornua cervi,
 Stabit & ante tuos urſa proterva pedes.

XXXIII.

* *Adonid.*

Digitized by Google

XXXIII.

VOTUM CORNELII GRYPHII

Ad DIANAM.

CANDIDULUM hunc dentem, primo ſub flore juventæ
Tonſoris vulſit quem ſibi dira manus,
Benaci ſaliente unda CORNELIUS ortus
Dedicat, o noctis Cynthia diva potens:
Et rogat ut reliquos propiori numine ſerves,
Ne ſævas iterum ſentiat ille manus.

XXXIV.

VOTUM ATHIS AD BENACUM.

HANC tibi de fracta partem, Benace, carina
Dedicat * ipſe tuo litore natus Athis:
Velaque ſuſpendit diſcerpta furentibus Auſtris,
Et quæ naufragii eſt palmula facta comes.
Addit & ultima vota: *Inſanis obrue in undis,*
Obrue Athin, poſthac ſi ſua vela vides.

XXXV.

DE MARTE AMANTE PALLADA.

MARS Veneris, quondam caræ, eſt exoſus amores,
Quis putet? amiſit fabula priſca fidem.
Dumque colit terras, Violantida deperit unam.
Rem miram! Mavors Palladis igne calet.

XXXVI.

* *Ille.*

Digitized by Google

XXXVI.

De CUPIDINE Dormiente;

APUD ILLUSTRISS. ISABELLAM M. MANTUÆ.

TU puerum vexare cave, Cytherea, protervum,
Dum carpit ſomnos lumine languidulo.
At vos ſecuri interea requieſcite, amantes,
Depoſita feſſus dum face dormit Amor.

XXXVII.

DE AMORE ET BAJIS.

BAJARUM dum forte capit ſub mollibus umbris
Feſſus Amor ſomnum, murmure captus aquæ,
Ipſa facem accurrens gelida celavit in unda,
Ut veteres flammas vindicet alma Venus.
Quamprimum liquor ille æternos concipit ignes:
Igne novo (quiſnam crederet?) arſit aqua.
† * Ignitis igitur fumant hæc balnea lymphis;
Quod facula una omnes vincit Amoris aquas.

XXXVIII.

AD DAPHNIM.

NEc poſthac coryli grata dejectus in umbra
Mulcebis pecudes carmine, Daphni, tuas:
Nec patriis poſthac texes umbracula Nymphis;
Populea ſternes nec tibi fronde torum.
Juppiter afflavit te fulmine: veſpere ſero
Ad ſtabula attonitæ vix rediere boves.

XXXIX.

† Flammivomis, *Aldina Carminum collectio an.* 1533. *in* 8. Vulpius.
* *Accenſis.*

Digitized by Google

XXXIX.

ECLOGA.

Sub nomine GALATEÆ vocat Sereniſs.

CATHARINAM REGINAM UXOREM

Illuſtriſſ. Ducis FRANC. Mant.

DUM veſtit Phœbus formoſo gramine terram,
Et Zephyrus pingit prata colore novo,
Hæc cecinit Lycidas viridanti innixus olivæ,
Tollit ubi parvis ſe Capriana jugis:
Huc ades, o GALATEA; redit Pax aurea terris;
Jam placidus, domito Marte, triumphat Amor.
Exſpectata veni; Faunus te molliter ardet,
Et deſiderio liquitur uſque tui.
Dumque tuos abſens ſecum ſuſpirat amores,
Inſomnes noctes ducit & ille dies.
Linque domos patrias, & tanti nominis Hiſtrum,
Inque tui Fauni læta recurre ſinus.
Ipſa tibi violas hiberno tempore tellus
Submittet niveas, purpureaſque roſas.
Flava tibi nivibus mediis florebit ariſta:
Plena capræ referent ubera lacte domum.
Sudabunt teneræ cæleſtia mella geniſtæ,
Aurea ſtillabit ſuccina lenta ſalix.
En te MARGARITE præ cunctis cernere geſtit,
Diverſaſque parat ruris & urbis opes.
Quali te amplexu excipiet, caramque fovebit!
Imprimet intactis oſcula quanta genis!
Marmiroe te pulchra vocat; tibia lilia ſervat,
Seu mage narciſſum, ſive hyacinthon amas.

* Pin-

Digitized by Google

* Pingit odoratis redolentia ſerta liguſtris.
Serta colore tibi, ſerta & odore placent.
Theja Venus prati mollis populatur honores,
Et tibi florentem ſubſecat ungue thymum;
Illic educit ſpirantes hortulus herbas,
Surgit & intonſâ citria ſilva comâ.
Andini late alternant tua nomina ſaltus,
Quæque ſuum jactant paſcua VIRGILIUM.
Eridanuſque pater præcinctus cornua muſco,
Frondeque populea, litore plaudit heræ,
Prætenditque manu ramoſa coralia trunco,
Quæ genitor Nympharum attulit Oceanus.
Mincius intexit calathos, quos mollis acanthus
Veſtit, & hos hederæ brachia lenta ligant.
Læta tibi niveas nutrit Spinoſa columbas:
Poma ſuis pendent roſcida ** ab arboribus.
Te quercus, ſaliceſque vocant; nam diceris inter
Nympharum æquales pulchrior eſſe choros:
Collaque cygneas vincunt tua candida plumas;
Ut roſa, purpurea es; ut viola, alba genas.
Huc ades; hic umbræ nemorum, & de valle volutus
Fons gelidus rauco murmure ſaxa ciet.
Hic nitidi ſoles, hic indulgentia cæli,
Hic animos triſtes gramina læta movent.
Tecum concordes Faunus bonus exiget annos;
Qui nunc *** jucundi tempora veris agit.
Tunc tibi paſtores agreſtia dona feremus,
Inter quæ lactens hædus, & agnus erit.
Ruſtica tunc quercu pubes in ſerta retorto,
Cincta comam, argutos tollet ad aſtra ſonos;
Adventumque tuum ſignabit cortice fagi,
Ne ventura ætas non meminiſſe queat.

L Tunc

* *Texit.*
** *In.*
*** *Formoſi.*

Tunc aderis præſens, & læta vocantibus ultro;
Namque tibi pius eſt magnus uterque parens.
Nullus erit qui non libet tibi lacte recenti:
Nullus erit qui non aurea poma ferat.
Hactenus hæc Lycidas; cum plura referre parantem
Compulit errantes cogere Veſper oves.

X L.

IN LAUDEM LAURUS.

Ode Soluta ad

LAUREUM AMARSFORDIENSEM.

DICERIS quoque tu meis
Laurus fidibus, & chely
Suaviſonante, ſi Phœbus ipſe
Tantum inſpirat enthei
Spiritus mihi, ut in honorem ferar
Olim optatæ virginis.
Namque ille exarſit inti-
mis præcordiis, dum ſinus
Candidos nudata, ludenſque
Inter æqualium choros,
Cothurnoque exſerta levi
Marmoreos pedes lavares
Ad ripam patrii fluminis ſonoram,
Perfundens ſocias amabiles
Urnula argentea lymphis.
Tunc ut ille vidit amens te,
Oblitus arcum, ſagittiferamque pharetram,
Queis victor formidoloſus
De ſerpente triumphârat horrifico,
Optavit te ardens, irruit ardens

Tuum

Digitized by Google

Tuum in amplexum. At tu reflectis caput
Exterrita, ut viſo mollis agna lupo.
Quamprimum ſocia eris mihi, dixit,
Currus cælivagi
Tu luciferos reges equos,
Et advehes terris diem:
Tum roſcidum Orientem mecum
Luſtrabis, & aureum
Perambulabis Signiferum.
Tu mecum reſonantia magni
Oceani antra ſubibis:
Facieſque mecum regna
Infera nocte ſplendida.
Tibi invidebit Aurora rubens,
Dum ſurget croceo e toro
Tithoni tremuli ſenis,
Si me tuo digneris amore.
Sed ſprêſti ingratam vocem, freti
Surdior Ionii procellis,
Deliberata prius mori,
Quam quis tibi vel deorum impudens,
Vel mortalium arrogans
Zonam ſolveret virgineam.
Tandem pudica profers comas
Odoras, præmium pudoris,
Præmium caſti pectoris: his baccas
Ægrorum in uſum mortalium educas.
Tu ſerta contexis vatum in
Regumque victorum caput,
Duplici honore decora.
Tu redimita frontem honeſtam
Semper viridi cortice, intacta,
Nec gelu, aut hiemis timens,
Nullis demorſa pruinis,

Digitized by Google

Neque ſævis Aquilonibus
Æthere frigido deprœliantibus,
Hiulca admittis cælifluos imbres;
Joviſque irati fulmina
Contemnis: ſolum amanti tuo obnoxia;
Quod te firmat, calore
Quod te vivifico fovet, tuas
Miſertus vices, neque ſuos
Oblitus veteres ignes,
Te proſpectat ab alto
Æthere omnividens. O quis me tua
Locet ſub umbra! ut expers
Curarum excipiam placidum ſoporem!
O qui meum caput tua
Innectat fronde decorum?
Tunc ipſe nec curem coronas
Regum, nec ſilvas Heſperidum beatas.

XLI.

DE JUNIPERO.

HANC ego Juniperum ſertis & fronde corono:
Hæc mihi Juniperus maxima ſemper erit.
Nec laurus mihi malim, aut coniferas cypariſſos:
Deſpicio myrtos, o Cytherea, tuas.
Dum me Juniperus molli circumtegat umbra,
Hanc ego ſilveſtri paſtor honore colam.
Vere novo innectam violis pro tempore ramos,
Et feram odoratis lilia mixta roſis.
Autumno ſtabunt pendentia roſcida mala,
Mala excerpta ſuis nuper ab arboribus.
Illi ego dona feram. Non hanc violare ſecuri
Audeat, aut * rapido ruſticus igne petat:
Ut

* *Illam.*

Digitized by Google

Ut ſervata ſuos longo det tempore fructus,
Æternumque virens tollat in aſtra caput.
Non hanc proſternant animoſi flamina venti,
Torrida non æſtas, non rigida urat hiems.
Juniperum foveat * tepidi clementia cæli,
Proferat ut fructus ſemper odora novos.
Vos neque, Hamadryades, pigeat cum venerit æſtus,
Radicem egelidi ſpargere fontis aqua:
Denſaque bacciferis prætendere tegmina ramis,
Sæviet horrendo cum mala bruma gelu:
Ut faciles agitare ſub hac convivia ** Fauni,
Et ſolitas poſſit ducere Amor choreas.
Sæpe ſub hac captes venatu feſſa ſoporem,
Intactæ cuſtos, Delia, Juniperi.

XLII.

IN FONTEM CAPRIANÆ.

INvitat Dryas hic & te pulcherrima Nais:
Arboris hæc Genius, fontis & illa dea eſt.
Hæc volucrum ramis conſeſſus præſtat opacis,
Atque umbram medio ſufficit alta die.
Illa ſitim exſtinguit ſaliens, & inire ſoporem
Perſuadet, rauco dum ſtrepit unda ſono.

XLIII.

DE EODEM.

ET quercum fons hic, & fontem quercus amabit:
Et bibet, & ludet ſemper Hamadryas hic.

* *Puti.*
** *Nympha.*

Digitized by Google

XLIV.

DE AMORE ET JUNIPERO.

JUNIPERO caperet ſomnum cum forte ſub alta
Allectus vitrei murmure fontis Amor;
Indignata Venus, myrti quod ſperneret umbram,
Perfide, ait, pœnas, perfide nate, dabis.
Nec mora; Juniperi folio confixit acuto,
Et liquit tenero ſpicula fixa pedi.
* Somno excitus Amor, Mater, nil proficis, inquit:
Tu tibi habe myrtum; ſit mea Juniperus.

XLV.

AD STEPHANUM LAUREUM

Amarsfordienſem.

URSAM ſi videas Bononienſem,
Non urſam, ſed amabilem Camillam,
Urbis Felſineæ decuſque ſæcli,
Quam lætabere, gratiaſque divis
Ages, LAUREE, quod tuis ocellis
Tantum dii dederint licere, tantum
Conſpexiſſe boni! Videbis Arcton,
Quæ cæli reliquas faces minutas
Obſcurans proprio nitore inumbrat;
Et flammam ciet intimis medullis.
Gemmas aſpicies, roſas rubentes,
Admirabere candidas pruinas,
Verba & purpureo exeuntia oſtro.
Cui poſtquam dederis meam papyrum,
Dic, Te, dic, cupit ARCHIUS perenne
Com-

* *Ut perſentit.*

Digitized by Google

Commendare ſuis, Camilla, chartis.
At ſi non licet, obſecrat quod alti
Saltem affectum animi probes benigne,
Et parcas calamo ſuo arroganti.

XLVI.

AD CAMILLAM GONSAGAM.

LÆTUS Amor de more tuis * ut ſidit ocellis,
Spiculaque e pharetra promere ſæva parat;
Ipſa comâ furtim pendente, & crine retorto
Innectis. ridens talia fatur Amor:
Cauta ** Venus quondam Vulcani vincula ſenſit;
Quid mirum, laqueos ſi puer ipſe tuos?

XLVII.

AD MARTIAM VENETAM.

TUTIANI permitte manu te, Martia, pingi:
Tam doctas facies poſtulat iſta manus.
Vendicat ille tui ſimiles a morte ſecunda:
Subtrahit a rapidi temporis arbitrio.
In tabula viridem ſervabis pulchra colorem:
Turpabit roſeas nec tibi ruga genas.
Deinde tuo vultu ventura juventa calebit,
Conſpiciet nullam cum tibi canitiem.

* *Dum.*
** *Parens.*

XLVIII.

AD CAMILLAM VALENTAM.

CUM mater tibi ſit Pallas, cui denique mirum
Quod * doctos verſus, culta Camilla, facis?
Hoc admirandum, cum ſis vel mater Amorum,
Quod proba, quod ſervas rara pudicitiam.

XLIX.

DE LAURA BONONIENSE.

Petrarchæ Imitatio.

NON Ticinus, Tybris, Padus, Arnus, Nilus, & Hermus,
Non Atheſis, Rhodanus, Tanais, Mæander, & Hebrus,
Alphæus, gelidis nec Medoacus aquis:
Non abies, poſſetve meum lenire calorem
Quicquid ſilvarum, quicquid & eſt nemorum.
Ardenti una meo ſupereſt medicina furori,
Laurus amor Phœbi, Laurus honos Dryadum.
Quam fovet ardorem trunco, tam mollibus umbris
Mulcet, & ardorem, quem facit ipſa, levat.
Sic Laurum vitreis riget undis perpetuus fons,
Meque tegat denſis Laurus opaca comis.
Sic ſemper Laurus gemino potiatur honore,
Et Regum & Vatum tollat in aſtra caput.
Illius ut noſtros inſcribam cortice amores,
Et creſcat Laurus maxima, creſcat amor.

L.

* *Facias doctos culta Camilla modos.*

Digitized by Google

L.

IN TUMULUM AMANTIUM INTERFECTORUM PADUÆ.

DUM vixi, tecum optavi, mea, vivere, vita;
Dum ſine te vixi, vita moleſta fuit.
Nunc tibi me æternum jungunt communia fata:
Mors, mihi quam vita es carior & melior!

L I.

AD VENTOS NACENSES.

QUI nemora & Naci montis ſaxa invia Venti
Tunditis, & celeri verritis antra fuga,
Si veſtrûm flammas quiſquam atque incendia ſenſit
Queis divûm atque hominum pectora torret Amor
Me miſerum perflate, atque has exſtinguite flammas.
In me unum totas fundite, quæſo, animas.
Aut ſaltem in dominam partem aſportate caloris;
Forſan erit noſtris mitior inde malis.

L I I.

DE LACRIMIS PUELLÆ.

Imitatio Areoſti.

EX COMINIANA EDITIONE.

DULCES lacrimulæ meæ * puellæ,
Quas deſiderium pium movebat;
Quæ vultus modo candidos rigabant
Guttatim; & roſeis genis fluebant:

Ac

* *Ipſityllæ.*

Digitized by Google

Ac ſi rivulus irrigaret undâ
Flores purpureoſque candidoſque;
Ac per * mollia prata laboretur.
Tam ſuavi in pluvia nitens Cupido
Inſidebat, uti ſolet volúcris
Ramo, vere novo, ad novos tepores,
Poſt Solem ** accipere ætheris liquorem;
Geſtire & pluviæ ore blandiendo.
Has inter lacrimas, & hunc dolorem
Quaſſabat geminas faces Cupido,
Exire ut faceret novas favillas.

VERSUS LUDOVICI AREOSTI,
quos imitatus eſt ARCHIUS, hi ſunt, ex Libro XI. Rolandi Furentis; ubi Poeta ille maximus Olympiæ formam elegantiſſime deſcribit.

Mentre parlava; i begli occhi ſereni
De la donna, di lagrime eran pieni.

Era il bel viſo ſuo, quale eſſer ſuole
Di primavera alcuna volta il cielo,
Quando la pioggia cade, e a un tempo il Sole
Si ſgombra intorno il nubiloſo velo.
E come il roſignuol dolci carole
Mena ne i rami allor del verde ſtelo,
Così a le belle lagrime le piume
Si bagna Amore, e gode al caldo lume.

E ne la face de' begli occhi accende
L'aurato ſtrale, e nel ruſcello ammorza,
Che tra vermigli e bianchi fiori ſcende;
E temprato che l'ha, tira di forza. ec.

LIII.

* *Et per lilia curreret roſaſque.*
** *Ebibere.*

Digitized by Google

LIII.

LACRIMÆ IN SABELLINAM CATELLAM.

SABELLINA catellula,
Qua non promtior altera
Mellitum imprimere oſculum;
Qua non altera doctior
Manus linguâ eburneas
Heræ lambere amabilis;
Vale, amata catellula,
Heræ deliciæ meæ.
Tu pedem tremulum dabas
Modo hunc, hunc modo, & illum;
Alternas iterans vices
Sponte, ſive petita.
Ad vocem dominæ procax
Incitare ſueta
Ludum, ludere pertinax
Ad blandum digiti ſonum:
Ad nutum quoque promta
Lapſum linteolum dare
Blandis morſibus adpetens.
Te morſus rabidæ canis
Oppreſſit. canis effera
Momordit tenerum pedem.
Illo vulnere ſaucia
Nulli blanditias facis,
Et lympham refugis tremens;
Nec ſomnum capis, aut cibum.
Tantum humi ægra recumbis,
Aut fota in gremio, aut toro
Heræ molliculo jaces,
Oblita innumeros jocos,

Tri-

Digitized by Google

Triſte neſcio quid gemens.
Tandem perpetuo (ſcelus!)
Claudis lumina ſomno.
O fatum lacrimabile!
O factum male & impie!
Ergo quæ modo ludicrum
Præſtabas dominæ, jaces
* Urnâ condita eburneâ.
Hoc ſolatiolum tamen
Sit, miſella, tibi necis,
Quod nuſquam occubuit canis
Quam tam bella puellula
Cum deſiderio arſerit:
Pro qua ſplendidi ocelluli
Turgidas modo roſcidis
Rigârunt lacrimis genas.

LIV.

DE DISCESSU AB AMICA.

HOc ego diſceſſu, fateor, ſum factus ut amens;
Nam fleo quod domina cogor abire mea:
Rideo; me dominæ faciunt promiſſa ſuperbum:
Ardeo; ſollicitum cor fera flamma coquit:
Frigeo; namque meus ſol linquitur orbe remoto:
Spero; mihi incerto eſt certa in amore fides.
Et timeo infelix, quoniam Timor inſtat, & inquit:
Rara in amore diu femina pondus habet.

LV.

* *Parva condita in urnula.*

Digitized by Google

L V.

AD AMICAM.

ILLE ſemel qui te, rerum pulcherrima, vidit,
Ille ſuis totum optavit ineſſe oculis:
Verba ſemel qui te ſenſit mellita loquentem,
Totum aures petiit ſe bibulas fieri.
At qui ſævitiemque & inexorabile pectus
Teque impacatum nôrit habere animum,
(Pace tua dictum) ſe oderit ille, voletque
Numquam habuiſſe aures, numquam habuiſſe oculos.

L V I.

AD THYRSIM.

THYRSI puer, formoſe puer, cur liqueris heu heu
In fontem? cur ſic pallidulo ore tumes?
Dum fles ereptam nocturno a fure capellam,
Ah miſer, ah miſer, ah deſine velle mori.
Eſt mihi (ni temnis mea munera) corniger hircus;
Invidit Lycidas hunc mihi ſæpe bonus:
Ille herbas gelidis in vallibus Apennini
Tondet, & eſt matris maxima cura meæ:
Illum ego ſurripiam; matrem, caramque ſororem
Præ te ego deſpicio, deſpicioque gregem.

L V I I.

DE HYALE.

ALBA genas Hyale tota aſpectabilis urbe eſt;
Illa eadem roſeo picta colore nitet.
Quid? quod & aureolos oſtentat fronte capillos,
Cum ſit anus, multâque obſita canitie?

Nil

Digitized by Google

Nil mirum; eſt conjux Hyale pictoris; & omnes,
Quum vult, illa domi pyxidas evacuat.
Non tamen huic facile eſt rugam occultare ſenilem;
Pictoris quoniam non facit iſta color.

LVIII.

AD MYCONEM.

COGE pecus, formoſe Mycon, ad paſcua Sarcæ,
Arenti ſitiens dum Cane fervet humus.
Ilicis hic nigræ ſacrum nemus: hic teget umbra
Una duos, eadem proteget umbra pecus.

LIX.

AD BORDELLINUM FLUVIUM.

BORDELLINE, Hierum merſiſſes amne rapaci,
Ni tibi clamâſſet: Eſt meus ignis edax.

LX.

AD SUOS OCULOS.

Hoc & ſequens Epigramma, quæ leguntur in calce Poematum Fracaſtorii edit. I. Cominianæ, in Collectione Mantuana non comparent.

QUID tot, procaces, lacrimis ſinus fruſtra
Rigatis, oculi? quid cruore manatis?
Hoc eſt, quod inquiunt, ſapere Phrygas ſero.
Tum lacrimari, tum dolere oportebat,
Quum vos, ſceleſti, meque perditum iretis.
Quoties rogavi, dicite, quoties ſupplex
Per me obſecravi, per meaſque fortunas,
Ut

Digitized by Google

Ut hæc roſetis æqua labra Pæſtanis,
Vultumque cerni lubricum caveretis!
Nil me, ſceleſti, miſeret, aut piget veſtri:
Cordis dolet ſolius; quod modis miris
Pœnas furoris innocuum luit veſtri.

LXI.

PEDIBUS SUIS.

AMABO, quo me, laſſuli pedes, fertis,
Vix ſuſtinentes ſemimortuum corpus?
An ad cruentum limen, ad fores illas,
Ubi hanc miſelli pene liquimus vitam?
Quid ah, quid ultro convolatis ad mortem?
Quid ſponte in acres ponitis manum flammas?
Ni vos (ſed olim viderit ſator Divûm)
Tot ejulatus, lacrimaſque pertæſi,
Utcumque tantis quæritis malis finem.

FINIS

LIBRI TERTII.

Digitized by Google

ADNOTATIONES

IN LIBRUM TERTIUM.

I. A*Loyſius Ludovici Gonſaga* filius, maximam in re militari gloriam adeptus, *Rhodomontis* antonomaſtice nomen accepit. Obiit percuſſus ahenea pila in pugna ad *Arrum*, vulgo *Vicovaro*. *Iſabellam Columnam* ejus uxorem proſopopæja hac alloquitur Poeta, eamque clariſſimæ *Victoriæ* exemplo, ut vidua manere velit cohortatur; fruſtra, nam *Philippo Lanoio* Sulmonæ Principi poſtea nupſit. Aloyſii vero facta Poeta recenſens, Anconis ſeditionem ab eo ſedatam, & captum Arium potiſſimum celebrat; eumque ab Latina, & Italica Poeſi collaudat, ut merito declarant ejus divina prope carmina ad Ludovicum Areoſtum

„ Saggio Scrittor de le memorie antiche. „

Marcus Antonius Columna, & *Camillus Trivultius*, in Mediolanenſi obſidione dum vallos, & mænia ad hoſtium inſidias repellendas obſervarent, ahenea pila percuſſi, conciderunt anno 1521.

Joannes Medici, *Coſimi* magni Ducis Pater, in prælio prope *Ambuletum*, nunc *Governolo*, graviter vulneratus, Mantua, *Aretino* impetrante, apud *Federicum* Ducem delatus eſt, ibique occubuit anno 1526.

II. Cum *Margarita Maroſcelli*, ex *Doniſmundis*, Ferrarienſis mortuo *Giſmundo Cantelmo* Sorae Duce viro ſuo, apud *Iſabellam Gonſagam* Mantuæ Principem decederet, *Aureliam Valeſi* Sermidenſem Ferrarienſi D. Mariæ Gratiarum Monaſterio ſecum abduxit, eo animo, ut novo quod ponere cogitabat Monaſterio eam præficeret. Multis igitur ad hoc paratis opibus, anno 1532. moriens, teſtamento *Iſabellam* Hæredem ſibi ita inſtituit, ut quod ipſa diu mente voluerat, ab ea perficeretur: quod ideo Monaſterium *della Cantelma* dictum fuit.

III,

Digitized by Google

III. *Martianum Capella*, veterem Grammaticum exagitat Poeta, & *Stephano Laureo* Medico Amersfordiæ nato, ſuadere conatur, ut auferat Librum *de Nuptiis Philologiæ*, quem *Franciſcus Vitali* Vicetiæ primum edidit anno 1499. De *Petro Bembo*, *Marco Antonio Flaminio*, & *Jacobo Sadoleto* clariſſimis viris nihil dicam; hoc addo, *Romulum* hic cum iis nominatum *Amaſeum* eſſe, qui tunc temporis in Bononienſi Gymnaſio Græcam, & Latinam linguam docebat, & Xenophontis Ciropædiam interpretatus eſt.

V. *Joannes Petrus Pintio*, extremo ſæculo xv. Mantuæ natus eſt; deceſſit medio xvi. circiter elapſo. *Jani Pyrrhi* nomen ſibi ſumpſit, librumque *Delle Vite de' Veſcovi e Principi di Trento* fabuloſe magis, quam ad Hiſtoriæ fidem conſcripſit. Ex hoc Auctoris noſtri carmine apparet eum ut Poetam laurea corona a Cæſare donatum fuiſſe, & ut habet Cl. *Tartarottus*, Poetæ laureati titulum ſibi etiam tribuit in Præfatione quadam in Librum Grammaticarum Inſtitutionum *Auguſtini Saburni* Brixienſis, pro more ſcilicet illius ætatis, qua decus hujuſmodi parvo emebatur, ac Poetarum laureæ alga viliores eſſe videbantur. Ignotum vero nobis eſt, quo loco *Naviger* Poeta, & Orator elegantiſſimus Pintium hunc laudaverit; uti Poeta noſter canit.

VI. *Trypho Gabrielli* Venetus ab omnibus XVI. ſæculi Scriptoribus magni habitus eſt. Philoſophiam ſummopere coluit, & caſtiſſima vita alterius Socratis nomen ſibi meruit. Anno 1549. in Patria ſupremum diem obiit, atque in Eccleſia vulgo *della Celeſtia* etiamnum ſepulcrum ejus ſpectatur, de quo conſule Apoſtolum Zeno in *note alla Bibl. Ital.*

VIII. *Joannes Franciſcus Conti* duplex cognomen ſuſcepit: *Stoa* ſcilicet, & *Quintiani*; alterum, quaſi ipſe eſſet Scientiarum omnium porticus; alterum a patria ſua *Quinzano* Brixienſium oppido, vel ut ipſe dictitabat, quod Quintianum Martialis amicum ſe fingeret. Ob Poeticæ laudem a *Ludovico* XII. Galliarum Rege laurea coronatus eſt, & in Papienſem exedram elatus. Grammatices, & Poeſis ſtudio ma-

Digitized by Google

xime incubuit. Epographias ſcripſit, atque Epigrammata, ſed quia in ſcriptis ſuis extollendis nimius fuerit, inter Nebulones merito a *Giraldo* repoſitus eſt: interea *Scaliger* eum laudat. *Textor* in *Officina* ſic ait: *ſunt & noſtro ſaeculo, qui magna ſui nominis celebritate poeticen profitentur, ut Quintianus Stoa, cujus familiaritate & colloquio uſus ſum aliquandiu, quum degeret Lutetiae, ibique ſuam Cleopolim excuderet*. Occubuit, magnam apud Gallos famam conſecutus, anno 1557. aetatis ſuae 73. Vide *Quirini Specimen Litter. Brixien.*

XII. *Prabia*, jugera e loco quodam in Arcenſi ditione, quem vulgus *Pravi* nominat.

XIII. De *Maximo* & *Aurelio* JJ. CC. Ripenſibus nihil eſt quod ſciam.

XIV. De *Jacobo Calandra* alibi diximus. *Joannes Baptiſta Fiera* Medicus, & Poeta, anno 1469. Mantuae ex antiquiſſima familia ortus eſt. Ejus extant Lacrimae in funere *Hippolytae Caſtillioneae*, *Balthaſſaris* Poetae conjugis, eumdemque doctum, valdeque accuratum, ſed durum merito vocat *Scaliger* in *Hypercritico*: mortuus eſt anno 1538., carminaque reliquit, quae alii in alias linguas tranſtulerunt, & commentariis illuſtrarunt. Librum de tribus principiis in Ariſtotelem edidit, & de Verbo Incarnato Poema ſuum *Adriano* VI. P. M. inſcripſit, cujus gratatoriae litterae extant apud *Doneſmondum*.

Sabinus Calandra, *Federici* filius, *Jacobi* modo laudati nepos, & a Secretis Ducalibus, de quo *Zucchi Memorie MSS.* Privilegium ab *Hercule* Cardinale avo & Matre *Margarita*, tutoribus Ducis Mantuae, de *Jovii* Elogiis edendis *Michaeli Tramezzino* conceſſum a *Sabino* hoc ſubſcriptum legimus Anno 1546.

XVIII. *Dulces lacrimulas*, ideſt ut opinor Hendecaſyllabon illud

Dulces lacrimulae meae puellae

prope finem hujus Libri.

XXX. Puer hic, pro quo Venerem orat Poeta, *Franciſcus* eſt, natus anno 1533. ex *Federico* Mantuae Duce, & *Margarita Paleologo*.

XXXI.

XXXI. *Archinthus*, ipſe eſt *Nicolaus*, nam ita ſemel, atque iterum in *mss.* noſtro ipſe ſe nominat; quam vero *Urſam* allegorice appellat, illa eadem *Camilla* eſt, de qua canit carmine 45. ad *Laureum*, ubi rurſus eam *Urſam* nominat.

XXXV. *Violantem Valenti* intelligo, de qua conſule quæ dicturi ſumus. Lib. IV.

XXXIX. *Catharina*, *Ferdinandi* Romanorum Regis filia, *Franciſco Primo* Mantuæ Duci nupſit anno 1549., eodemque quattuor vix elapſis menſibus orbata eſt. Eam poſtero anno duxit *Sigiſmundus* Auguſtus Poloniæ Rex. Auctor, Franciſcum *Faunum*, Catharinam *Galateam*, ſe *Lycidam* nominat.

Capriana, *Cauriana*, nobiliſſimus cum Arce pagus in agro Mantuano prope fines Veronenſium

„ .. qua ſe ſubducere colles
„ Incipiunt, mollique jugum demittere clivo. *Virg. Ecl.* IX.

Cum *Franciſcus Primus*, Mantuæ Marchio, ruſticandi gratia non ignobile Palatium erigi curaſſet, ibidem multis conventis Legatis anno 1441., Pacis concilium inter Italiæ Principes initum fuit, quod Cremonenſem Tractatum Hiſtorici vocant. Eo nunc etiam in loco Arcenſes Comites multas poſſeſſiones habent, & hinc eſt, quod ſæpe laudatur a Poeta.

Marmiroe, *Marmirol*, locus eſt in agro Mantuano, quo *Federicus* Mantuæ Marchio nobiliſſimum ad ruris otia Palatium erigi curavit, quod omni poſtea delitiarum genere Mantuani Principes exornarunt. Moles ipſa, nunc pene diruta, hoc apprime teſtatur.

Ande, *Pietole*, in agro Mantuano, ubi P. Virgilium tradunt natum eſſe. *Maffeius* tamen noſter aliter ſentit, motus illis IX. Eclogæ verſibus:

„ Certe equidem audieram qua ſe ſubducere colles
„ Incipiunt, mollique jugum demittere clivo
„ Uſque ad aquam & veteris jam fracta cacumina fagi
„ Omnia carminibus veſtrum ſervaſſe Menalcam.

Quibus verſibus declarat Poeta qua parte eſſet ſuum rus, quod milites occuparant. Putat igitur *Maffeius*, cum ad *Ande* colles nulli ſint, de *Bande* intelligi

debere ad fines noſtros prope *Caprianam*, *qua* utique *ſe ſubducere colles incipiunt*: idemque Servium, alioſque Scriptores, voluiſſe. Nam quod *Ande* apud eos legatur, id librariorum errore factum ſuſpicatur, una tantum litterula *B* ommiſſa. Sed vereor ut hoc Viri Clariſſimi argumentum ſatis firmum ſit: Quamquam enim colles nunc quidem haud reperiantur, ſunt tamen etiamnum in Andinis ſaltibus aggeres quidam, ſeu parvula juga; & alioquin conſtat ex Hiſtoria Mantuana colles olim prope *Ande* extitiſſe, eoſque non ita pridem ſolo æquatos fuiſſe, quo Urbs, ſi quando obſideretur, tutior eſſet ab hoſtium offenſionibus. Itaque eſt ibi locus, quem *Monticelli* hodie nominant. Cumque Virgilius prodiderit ſe ſuas poſſeſſiones habuiſſe

„ Quo palus limoſo obducit paſcua junco, „

ullone hæc pacto *Bande* conveniunt? *Ande* vero ea convenire perſpicuum eſt. Sed alia præterea ſunt, quæ faciunt contra *Maffeium*. Mæris ait

„ . . . hinc adeo media eſt via, namque ſepulcrum
Incipit apparere Bianoris „

Quod ab eo dici poteſt, qui *Ande* in urbem proficiſcitur, ab eo qui *Bande* nullo modo. Notum eſt enim Bianoris ſepulcrum, ubi hodie *San Lazzaro*, æquali prope intervallo inter Urbem atque *Ande* poſitum eſſe. Accedit quod Cæſar Mantuanorum agrum non ultra XV. M. P. a finibus Cremonenſium militibus ſuis diſtribui juſſit; de qua nimirum diſtributione Poeta queritur

„ Mantua væ miſeræ nimium vicina Cremonæ. „

Illo autem tractu *Ande* quidem comprehendi potuit, *Bande* non potuit, ut pote Veronenſium fines proxime attingens.

Spinoſa, locus fere in Mantuano Suburbio; quo nunc etiam maxima Turris ad palumbes enutriendas, veteriſque Viridarii non ignobiles reliquiæ extant.

XLII. Fons hic *Capriana Caycus* eſt, ut ex codice noſtro colligimus: hæc enim carmini huic præpoſita ſunt: *Inſcriptio fontis Cayci in receſſu Caprian.* MDXXXIX. Eum *Pioſello* incolæ vocant.

XLVI.

XLVI. *Camillam Gonſaga*, *Lodovici* filiam, *Rhodomontis* ſororem, inter Virgines ſe Deo voviſſe comperimus.

XLVIII. *Camilla Valenti* Mantuana, graviores litteras maxime excoluit, ejuſque *Epiſtolam* ad *Vergerium* Apoſtatam legimus in Libro *delle lettere volgari di diverſi nobiliſſimi Uomini* ab Aldo impreſſo. Huic Vergerius reſpondens, humaniorum litterarum, & latinæ linguæ laudem tribuit non vulgarem, conaturque ſuadere ut ad Theologiæ ſtudium ſe conferat. Si *Agnello* Hiſtorico credendum eſt, in complexu *Co: Jacobi dal Verme* mortui viri ſui præ dolore extincta eſt.

LIX. *Bordellinus*, rivulus eſt inter *Varonem* fluvium, & *Brionum* montem, in *Varonem* influens, prope Benaci lacum.

LX. Vulpius monet hoc & ſequens epigramma in collectione Mantuana haud comparere: nos in codice noſtro utrumque comparere teſtamur.

Digitized by Google

NICOLAI ARCHII COMITIS NUMERORUM LIBER IV.

I.

INVOCATIO OPERIS.

PONTANI manes, & docti ſacra CATULLI
Me ſinite e veſtro fonte levare ſitim.
Felices animæ veſtigia ſancta docete;
Atque ubi priſcorum eſt orbita facta patrum.
Audax ingrediar veſtrum nemus, & pede dextro
Vos ego Parnaſi per juga celſa ſequar.
Eſte Duces, & me ſublimem attollite Cœlo,
Ut volitem æternâ laude per ora virûm.

II.

Ad MANTUAM DE DUCE FEDERICO.

MANTUA FEDERICO pulcherrima Principe gaudes,
Et frueris Jove felici, Diviſque ſecundis,
Numine tuta tuo, nec ſævo obnoxia Marti.

At

Digitized by Google

At nos, infelix quos jam Verona creavit,
Eduxitque ſolo * infauſto, rerum omnium egeni
Cogimur antiquas ſedes, & dulcia tecta
Linquere, & externas errando quærere gentes.
Nos bella, & quicquid miſerandum, & quicquid acerbum eſt
Exagitat. noſtras populatur barbarus ædes
Italiæ exultans ſpoliis, prædaque cruentus
Vi potitur: nobis oſtendunt omnia letum,
Omnia ſunt deſerta, & ſpes eſt nulla ſalutis.
Hoc erat auguriis olim, quod ſæpe Deorum
Vidimus infando crinitas igne Cometas
E Cœlo ruere, & diras facies animantum,
Sæpe ſub obſcurum nocte apparere ſilenti!
Vidimus altum Atheſim ſpumantem ſanguine tœtro
Vorticibus rapidis. ** excelſa cacumina Baldi
Fulmine dejecit divûm Pater, & Paſtores
Terruit, & deſerta ipſi magalia silvis
Deſeruere: ipſi flerunt cum matribus agni:
(Paſtores niſi vana ferunt) nemora alta dedere
Ingentes gemitus, & robora ſuſpirarunt.
Continuo invaſere domos bellumque, fameſque.
Utraque dira lues, ſed peſtis pejor utroque
(Ah dirum exitium!) erupit de faucibus Orci,
Infecitque homines; æger procumbit humi Vir
Correptus tabe, & gemitum dat pectore ab imo;
Torva tuens, vitam & tenues exhalat in auras,
Crudeleſque vocat ſuperos, atque aſpera fata.
At nos reliquiæ peſtis, miſerabile viſu!
(Sive ira id Superûm, ſive hoc aſtra ipſa ferebant)
Et parvos trahimus natos, caroſque nepotes;
Pars feſſos patres ſenio, & ſine ſanguine matres.

* *Benaci.*
** *Summi caput Apennini.*

O fortunatos vos, o quibus ipſa dedere
Fata mori, quorum in Patria ſaltem oſſa quieſcunt;
Vos non captivos juvenes, non templa Deorum
Vidiſtis direpta, & lamentabile fatum:
Fatum quod ſicco non cernat lumine miles
Hadriacus, quamvis tantæ ſit cladis origo.
Tu vero, quæ magnanimo ſub Principe tuta es,
Mantua, cui reſonis applaudit Mincius undis,
Cujus ab Oceano fama uſque ad ſidera nota eſt,
Qui quotiens ſævis acies diffulminat armis
Mars pater huic galeam cedit, currumque flagellumque,
Otia læta diu teneas, & pace fruaris,
Fulta Deo meliore, & nixa potentibus armis.
Gaude igitur Manto, voſque o quorum irrigat arva
Eridanus. nos * Veronæ infelicis alumni
Fortunam profugi, & crudelia fata ſequemur
Quo nos cumque trahent; donec miſeratus ab alto
Quis Superûm noſtros caſus, dabit his quoque finem
Rebus, & ille malis hominum manſueſcere diſcet.

III.

BERNARDINO CLESIO

Cardinali Tridentino.

Quum te purpureo decoratum Roma galero
Audiret: Longe te meliora manent:
Ipſe meas Clesi moderaberis, inquit, habenas.
Hoc votum eſt hominum, ſic pia fata dabunt.

IV.

* *Benaci.*

Digitized by Google

IV.

AD MADRUTIUM

Cardinalem Ampliſſimum,

ROMA ALLOQUITUR.

SI votis hominum reſpondent numina Divûm,
Et ſi pro meritis congrua quiſque refert,
MADRUTI, noſtras moderaberis (auguror) arces.
Hæc te pro meritis regna beata manent.

V.

Ecloga ſub Allegoria

DE ILLUSTRISSIMO FRANCISCO

Mantuæ II. Duce,

Sub Perſona TITYRI.

INSERE nunc Galatea pyros, pone ordine vites:
Barbarus has numquam miles habebit opes.
Inſere poma, tui carpent tua poma nepotes;
Italiæ Mavors finibus exul erit:
Exul erit, * ni me fallunt cæleſtia ſigna.
Paſcite vos pueri, paſcite ut ante boves.
** Pax terris redit, & fient poſt tempore longo
Itala colla gravi libera ſervitio.
Inſere nunc Galatea pyros: vos ite capellæ,
Paſcite jam ſalicem, paſcite jam cythiſum.
Non

* *Fugiet, fugiet, male parta relinquet.*
** *Jam libertatis ſpes eſt: poſt tempore longo*
Fient colla gravi libera ſervitio.

Non tibi ſit tugurî cura o Galatea : quieſce,
Tityrus & tauros, & tibi ſervat oves.
Ducite vos ſaltus per compita, ducite Nimphæ,
Et nudate pedes, & celebrate diem.
Salva domus, Galatea, tua eſt, tibi floret ariſta,
Plena capræ referunt ubera lacte domum.
* Marmiroe te pulcra vocat, te, Tityre, ſilvæ,
Duc pecudes paſtum, Tityre, pelle ſitim.
Tu picturatum viridi de fronde galerum
Texe Amarilli tuæ, texe Amarilli comæ:
Carpe levem ſomnum, donec tua cura palumbes
Aeria rauco murmure rupe gemunt.
Et donec querulis reſonant pineta cicadis,
Te ſacrâ quercus protegat umbra comâ.
Cumque tibi excubitor lucem prædixerit ales,
Tityrus incipiat ducere monte pecus.
Audiat hanc vocem, & timeat quicumque colonus
Felici Auſoniæ vomere ſulcat humum.
Tityrus ipſe venit, felix, Galatea, quieſce,
Nec metuas poſthac, o Galatea, lupum.
Ne timeas pecudis ſcabiem, tibi nulla nocebunt
Frigora, ſit modo dux Tityrus inter oves.
Hac igitur viridi, & læta projectus in herba,
Ut ſerves pecus hoc, Tityre, tura feram.
Interea, Galatea, vale, Galatea valeto,
Sintque tui curæ deliciæ domini.
Fortunata veni, ſemper tibi Tityrus adſit
Candidior votis, candidiorque tuis.

VI.

* *Tityre te Galatea.*

Digitized by Google

VI.

ANTONIO PYRRHO,

De morte COTTÆ Veronenſis.

PYRRHE coronato juvet indulxiſſe phalerno,
Et mentem dulci tradere nequitiæ.
Lude, bibas, dormi, ride, cane, amato, laveris:
Otia, amor, genius ſit comes, & Bromius.
Pluma, Venus, choreæ, ciathi, puer, oſcula, ſaltus,
Arguta & crepitent baſiola in thalamo:
Sit roſa, triclinia, & calices, crotalumque, liræque,
Laſcivum & roſeo necte caput folio.
† Mors tacito venit atra pede, & præterfluit ætas,
Muſcoſo ut flumen proſiliens lapide.
Illa meum rapuit COTTAM juvenilibus annis,
Illa decus virtutum abſtulit, & Veneris:
Illa eadem juvenem primo ſub flore juventæ
Nondum maturum dempſit acerba manu.
Ah quoties dixi Romanæ credere peſti
Noli in tam puro pectore natum animum;
Nam moriar de te ad noſtras ſi venerit aures,
Aut de te ſi quid triſtius audiero:
Et credo forſan mi ſpiritus exiliiſſet,
Heſterna viſus ni mihi nocte foret:
Nam mihi Vive puer dixit, me fata tulerunt,
Vive puer fato, ſed meliore meo.
Abſterſitque oculos, tenueſque evaſit in auras:
Inger millia mi vaſa puer Bromii.
‡ Cantemus COTTA æternum victure valeto,
O Veronenſium COTTA decus juvenum.
Hei

† *Diſtichon expunctum eſt.*
‡ *Quattuor hoc loco carmina rejecimus.*

Hei mihi quod non te doctæ potuere Camænæ
  Perpetuo, aut Phœbus demere ab exilio!
Sis felix o COTTA, & felix COTTA quieſcas
  In tua Romano quod tegit oſſa ſolo.
Nos te immaturum fato ploramus ademtum,
  Et pia cum mæſtis tura damus lacrimis.
At tu PYRRHE inter gelidum nemus incipe carmen
  Jucundum, & curis gaudia junge meis.
Incipe, dic lenem ſuadentia carmina ſomnum
  PONTANI lepidi nænia næniola,
Aut modo quæ Hippolitæ modulans pro munere miſi:
  Ut vidi perii, vos procul eſte viri.
Aut modo quæ ad Lalagem ſcripſi, dulciſſima cura
  Eſt Lalage; quondam Flavia cara fuit:
Flavia mobilior ventis crucieris oportet
  Pro Lalage, cum me ut unicum amicum habeat.
Seu ſordent hæc, cantemus quæ nocte ſerena
  Plena ſale effudi carmina Cæcropio.
Interea tu PYRRHE adſis, nam vita malorum
  Plena cupit dulces delitias animi;
Et mors Vivite ait, venio, vivatis amici,
  Vivite, nam celeri clauda gradu venio.

VII.

AD AMICAM.

A TE non poſſum flagrantia declinare
  Lumina, Virgo oculis unica viſa meis.
Non poſſum hanc animam compeſcere ſuſpirantem,
  Quæ, te conſpecta, nititur aufugere.
Quamvis nulla mei tibi ſit clementia præſto,
  Incauta, & miſerum me patiare mori;
Sed potius vitam hanc quam vivo * amittere certum eſt,
  Quam te mutata deſtituiſſe fide,

Nam

* *Spiro.*

Digitized by Google

Nam promiſſa fides cordi eſt mihi, ſed tua cur ſic
Promiſſa in media ſcribere oportet aqua?
Promiſſa illa olim, quæ me ſperare jubebas,
Tamquam in amore tuo proſpera cuncta forent?
Cum promiſſa dabas olim: Mea verba teneto,
Dixiſti, & memori condita corde feras.
Dicebas: longâ jucundior unice vitâ,
Cujus ero donec mortua pulvis ero,
Nulla dies umquam noſtros obliteret ignes,
Stemus & in noſtro ſemper amore pares.
At nunc vis audire meas, neque reddere voces,
Perfida, nec dubitas eviolaſſe fidem.

VIII.

AD LECTUM AMICÆ

Bononienſis.

LECTULE, qui ſuaves ſpiras laſcivus odores,
Quique foves dominæ mollia membra meæ,
Hoc ego te fletu decoro, & te floribus orno,
Suſpendens lacrimis humida ſerta meis.
Et libet antiquos paullum renovare dolores,
Tecum & de domina, lectule, pauca queri,
Ut ſi forte olim noviſti gaudia noſtra,
Sis quoque nunc fletus conſcius ipſe mei;
Scis bene me quondam caræ placuiſſe puellæ,
Cum ſincere ambos unus alebat amor:
Nulla puella ſuo fuit umquam fœdere tali
Juncta viro, ut nobis Flavia juncta fuit.
Lectule tu ſæpe audiſti quæ verba locuta eſt,
Juppiter illa mihi qualia pollicita eſt!
Quum mihi languidulis ſomnus penderet ocellis
Hærens illa mihi talia dicta dabat:

Nulla

Nulla dies umquam noſtros delebit amores,
    Nulla fidem noſtram tempora diſſolüent;
Sed poſtquam patriæ dulcis me cura coegit
    A domina parvo tempore abeſſe mea,
Illam mutavit ſubito deus, illa repente
    Multivola eſt alii conciliata viro.
Sive quod illa prius noſtrum ſimulabat amorem;
    Seu quod præcipue fœdifraga eſt mulier:
Namque ubi conſpexit venientem ad templa deûm me,
    * I modo, ait, juvenis, i modo quære aliam.
Nunc cernis quantis fortunæ fluctibus errem,
    Qualia & a miſero præmia amore feram.

IX.

SILVA.

Et jam purpureo ex oriente Aurora reſurgens
Extulit os roſeum, Cælo tenebraſque fugavit
Alma relucentes auro interplexa capillos:
Et jam mane novo veteres philomena querelas
Integrat, & ſilvis fundit miſerabile carmen:
Sit mihi fas etiam noſtros memorare dolores.
O Nymphæ altorum nemorum, dum non coquit æſtus
Ardentes campos, nec terras findit hiulcas,
Vos audite meos præſentia numina quæſtus,
Numina quæ colitis nemora, & loca cognita Phæbo,
Dum queror indigno quod cogor amore perire.
Cur igitur noſtri, cur non vos pœnitet auræ,
Auræ hominum dulcis requies, æſtuſque levamen?
Cur non vos tangit cura infelicis amantis?
Qui toties errans per inhoſpita luſtra ferarum,
Per ſcopulos, per ſaxa ruebat montibus altis,
Mæſta gemens, largoque rigabat flumina fletu
Cla-

* *Quiſquis es i felix.*

Digitized by Google

Clamorem attollens : cujus modo carmine rupes
Impulſæ, & reſonis antra ingemuere querelis.
Teſtes vos orni virides, quæ ſepe gementem
Vallibus umbroſis mæſtæ excepiſtis in umbra
Sole ſub ardenti, donec deſeſſus, & amens
Cogebar cantu nigræ decedere nocti:
Nyſa vocans, te Nyſa vocans, Nyſa omne ſonabat
Omne nemus, Nyſamque iterabat vallibus echo,
Echo Narciſſum expectans, echo abdita ſilvis.
Tempore non alio vidit me nocte jacentem
Mollibus in pratis Ticini prope litus amœnum
Cinthia, furtivos hominum quæ cernit amores.
Crudelis ſed Nyſa meum deſpexit amorem,
Crudelis nimium, nec noſtris mota querelis.
Senſit me tantis mæroribus extenuatum,
Nec ſe ſe dedit in conſpectum corde cupita,
Illa nec eſt oculis poſt illo tempore noſtris
Reddita, quo perii demens, & funditus arſi;
Tantum inter ſilvas fugiens, lucoſque ſonantes,
Agglomerata choris Dryadum, tantum inter opacum
It nemus, & dulcem ſilvarum amplectitur umbram.
Illam omnes venerant Oreades, illa Dianæ
Cara comes gratorum operum, conſorſque laborum,
Hæc tenerum pharetra latus, & ſuccinta cothurno
Inſectactur apros; & noſtrum fallit amorem.
O Nyſa, ingratamque fidem, ſterilemque laborem!
Conqueror, & quod nulla meis bene gratia factis
Reſpondet : quodque incaſſum mea cura peracta eſt.
Quam ſatius fuerat gratæ ſervire puellæ,
Atque tegi corylis cum Menalio Melibæo,
Et ſentire altis ſpirantem e vallibus auram,
Paſcere & herboſo niveos in flumine Cygnos.
O me felicem, ſi Flavia juncta fuiſſet,
Flavia, quam non Archenſi ſub vertice ad umbram
Texuiſ

Texuit aut calathos, aut ſerta decentius ulla,
Seu caro juveni, ſive hæc diſtingueret aris:
Illam mille ſibi ſociam optavere Napææ;
Hanc Fauni petiere, & capripedes Satyriſci.
Tandem illa eſt omnes nos dedignata maritos,
Namque mihi jucunda quies, primiſque ſub annis
Miſcuit hæc curas, & certos junxit amores.
Et quid tum roſeis ſi Nyſæ eſt purpura labris?
Quid tum, ſi exterſis ebur illi in dentibus album?
At conſtans animi, & mihi Flavia certa fuiſſet,
Et noſtros ignes, longumque bibiſſet amorem.
Illam ego donaſſem ſerpillo, & ſuavibus herbis,
Flavia me violis, & vimineâ fiſcellâ,
Purpureoque amarantho, & caſtaneis hirſutis
Donaſſet, mecum & gelida jacuiſſet in umbra.
Tunc ipſe illius referentia nomen ad aſtra
Carmina fudiſſem, quîs quondam in vallibus Hæmi
Euridicem, & totis reſonaret montibus Orpheus.
Sed quid hæc? Nyſæ haud poſſum mutare calores,
Cuncta tuus ſepelivit amor pulcherrima Virgo
(Sive ita Dîs placitum eſt, ſeu me tua forma coegit.)
Pone igitur faſtus, tandem manſueſcere diſcas,
Neve tuo credas nimium formoſa colori;
Nam vitæ ſpatium incertum eſt, properatque ſenectus;
Mors avidas injecta manus, & tarda vocantem
Auxilia ad tenebras atque atrum detrahet Orcum.
Nunc o nunc oculos ad lumina noſtra reflectas;
Pone iram, & noſtræ facilis jam parce juventæ,
Sit modus & fore credo equidem, nam noſtra voluntas
Eſt eadem, nam me veſtris Deus appulit oris;
Sed rurſus vacuas abeunt mea dicta per auras.
Ah puer infelix, quæ te fata aſpera tangunt?
Nyſæ jam nulla eſt clementia: ſaxa valete,
Et vos felices fati melioris amantes,

Quos

Digitized by Google

Quos fortuna, & dii ex imo ad convexa tulere.
Vivite felices, valeo, mea vita peracta eſt;
Ecce ferar præceps de verticibus præruptis,
Hic ubi radices alti montis mare lambit.
At vos, o Vates, noſtros cantabitis ignes,
Et dabitis laurum, & bene olentia ſerta ſepulcro,
Exemploque meo Nyſæ fugietis amores;
Quæ me infelicem miſeranda morte peremit.

X.

LYRICON ODE.

* Arces ſacratas, & Capitolium,
Colles Quirini, tectaque Cæſarum,
Urbemque longævam, repoſtum
Mente ſedet, dominamque Romam
Rerum videre, & divitioribus
Elata muris tecta Quiritium,
Tibrimque, quo circum ſonoras
Ingeminant volucres querelas.
Hinc ſumptuoſæ culmina porticus,
Hic & Deorum templa potentium,
Ædes, & annoſas columnas
Cernere erit, intereſque fontes.
Cernam & piorum reliquias Patrum,
Manes verendos, atque reconditas,
Flammâque conſumptas edaci
Congeries tenuis favillæ.
Fas ſit volentis, Melpomene, volens
Frontem corona cingere laurea,

N Myr-

* *Sacras ruinas*. Item *Arces ſuperbas*.

Myrtoque, collataque fronde
* Cæſariem generoſiorem.

XI.

ELEGIA.

DII prohibete minas, dii talem avertite caſum,
Et ferte ominibus dii meliora meis.
Somnia ferte pedem procul hinc temeraria, nec me
Efficite hæc vanis credere imaginibus,
Omnia falſa monent volucrum, neque nuntia veri
Vera monet Thuſcis conſuluiſſe focis;
Si præſaga tamen veri, neque falſa loquuntur,
** Irrita fac nullam, Delia, habere fidem.
Mane erat, & nondum croceis evecta quadrigis
Tithoni conjux *** prodierat thalamo,
Cum ſubito infauſtum cecinit de turre propinqua
Importuna malis vocibus omen avis:
Territus hoc vereor, ne externis miſſus ab oris
Quis patrias hoſtis depopuletur opes;
Attonitus vereor patriæ ne bella minentur,
Aut avis irato nuntiet iſta Deo.
Dii patrii ſervate igitur patriamque, domumque,
Finitimiſque hoſtes pellite limitibus.
Aut ſi certa manet patriæ, domuique ruina,
Aversâque meas ſumitis aure preces,
Caſtra ſequi libet, & denſata per agmina, & ignes,
Perque hoſtes medios irrequietus agar.
Mars aderit, Bellona aderit metuenda virago,
Quæ caput ad cunctos circumagat ſtrepitus:
Dulce erit ut dicar juvenis ſubiiſſe labores
Pro patria immenſos, nec timuiſſe mori:
Dul-

* *Dea conſecrabit.*
** *Nullum pondus habere Deam.*
*** *Expulerat tenebras.*

Digitized by Google

Dulce erit ut dicar turma cinxiſſe cohortes,
Et penitus turpi terga coacta fugæ.
Si deerunt vires, injuria ſuggeret iras,
Nuſquam pro patria debilis ultor ero:
Ferro adero, ferroque hoſtes perque æquora & undas
Ipſo animo vires ſuppeditante ſequar.
Si tamen & poſt tot clades, poſt funera tanta
Quis malus adverſo tela figat latere,
Oſſa brevi tumulo condantur, nec mihi amomum,
Nec noſtro cineri ſpiret inuſtus odor.
Nam ſat erit tumulo ſi de me fama loquetur,
Et ſi perpetuo carmine ſcriptus ero:
Sed Deus in melius tale omen vertat, & illud
Hyppotades jubeat per mare ferre Notos.

XII.

LYRICON.

INTAMINATA ſolvitur alite
Navis, poetam haud illepidum ferens,
Fratreſque, feſtivamque matrem
Puppe cupit celeri videre,
Et lar paternum, & tecta domeſtica
Optat ſecundis tendere flatibus,
Terramque ad altricem redire,
Hyppotade, & Zephyro favente.
Non o rudentes non feriat Notus,
Fractoſque remos differat Æolus,
Nec puppem in adverſum retundat
Flante locum Borea protervo:
Verum in quieto tuta ſit æquore
Benaci, & ipſo tuta ſit Æolo,
Pictæque ſupponat carinæ
Sacra manum Thetis, & maritus.

Digitized by Google

Nymphæ quadrigis, & levibus rotis
Adſint ſecundæ, ſeu tubicen Deûm
Triton marinorum vocatus
Præſtet iter, facilemque curſum.
Quod ſi ſecundi res erit exitus
Laſcivientem ſolvere Diis caprum
Promitto, & in udo capellam
Litore ſacrificare pinguem.

XIII.

Jambus.

IN HANNIBALEM BRIXIENSEM.

ET hæc potes videre, & iſta perpeti
Pater Deorum, & omnium alme Juppiter?
Potes ne juſta continere fulmina,
Neque hic ſceleſtus HANNIBAL luet ſcelus?
Nefandus ille prona cui fuit fides,
Adulter ille, & hoſtis ille Patriæ,
Et impudicus proſtitutor virginum
Sacrarum, & ille latro dirus ædium.
Quid hoc ſcelus fovetis? ite Galliæ,
Et ite Brixiæ optimi Patres meæ;
Luem hanc fugate ad Occidentis inſulas;
Ut exul erret ultima in Britannia.
At o bene eſt; nefandus HANNIBAL luet
Scelus repente; Erynnis atra fulminans
Retorquet ora ſibilante viperâ;
Megæra utrâque concutit manu faces.
Tandem audiere Dii querentium preces,
Et impium ſcelus pios tetigit Deos;
Adeſt, nefande, pœna, Carnifex adeſt,
Adeſt

Digitized by Google

Adeſt ſecuris, & necem denunciat :
* Avis vorabit cor ſiniſtra perfidum,
Erit rapacis eſca vulturis jecur.
** At ipſe Diis dabo Bovem cornupetam,
Jovique maximo *** immolabo victimas.

XIV.

HIPPOLYTÆ MARCHIO : MALASPINÆ.

ETSI rura colas, coleris tamen urbibus, alma
Hippolytæ, & tecum rure pudicitia eſt :
Sors tua divina eſt, quamvis ſit ruſtica, namque
Sordibus urbanis quæ caret, illa dea eſt.

XV.

PARVULUS LUSUS.

PERFER & obdura, & legem hanc in amore frequenta
Perfer, & obdura ; dii meliora dabunt.
Obdura, & patere, ut veniat meliore lapillo,
Et ſignanda dies candidiore nota.
Nonne vides, ut poſt hiemen in crinita hyacintho
Fundat odoratas terra benigna roſas ?
Nonne vides veluti poſt triſtia nubila Cælo
Irradiet Solis flammeus ore nitor?
Nonne vides veluti poſt æquora turbida tendant
Sedatis pinnas fluctibus Alcyones?
Obdura, & patere, & legem hanc in amore frequenta,
Incipe firmata plurima mente pati :
Namque mihi eveniunt (& quæ non dicere fas eſt
Præter amanti) animo vix patienda meo.

* *Siniſtra cor vorabit.*
** *Ut*
*** *Ut*

Nam Dominæ dum cingo roſa limenque corono,
Et ſedeo ſolus janitor ante fores,
Nocte occurrit anus, trutinanſque verba labellis,
Infirmum baculo fertque, refertque pedem.
Hæc eſt, ut puto, quæ paſtorum faſcinat agnos,
Et quæ manſuetas murmure cantat oves;
Hæc eſt, quæ Cælo * deducit ſidera cantu,
** Quæ ſacros manes elicit e tumulis;
Illa in me torſit tot jurgia, quot mihi numquam
A quoquam, aut alibi dictaque, factaque ſunt.
Illa mihi dixit: Quid agis maleſane Poeta,
Quem miſerum aſſiduo cura dolore coquit.
Tu ne es, quem falſæ jactarunt murmura famæ
Ferre pudoris adhuc munera virginei.
Sic caſta eſt Helene, ſic eſt Venus aurea caſta;
Caſta etiam Lais ſic Ephyrea fuit.
Ah pater infelix, qui tot ſolatia fingit
De te, cui vita es carior atque anima,
Certe tanta tuos expectat fama penates,
Sic fruſtrata tui vota parentis erunt.
Ah Pater infelix iſti molire ſepulcrum,
Et mala qui extructum devoret oſſa rogum,
Hic ſolus triviis furtivum exercet amorem,
Pallentemque illum Cynthia nocte videt.
Accipit hunc etiam demiſſo fune feneſtra,
*** Dum tacito Lalages uritur igne miſer:
Uritur, & toti jam factus fabula vulgo,
Et digito oſtendens, qui videt, inquit, amat.
Iccirco infelix Pater huic molire ſepulcrum,
Teque etiam nato finge carere tuo.
Hæc poſtquam magico fudit mala verba ſuſurro,
Sollicitum in tenebris nocte reliquit anus.

Iſta

* *Ducit vaga.*
** *Hæc eſt quæ manes.*
*** *Illa etiam Lalages uritur igne pari.*

Digitized by Google

Iſta tamen patior, patior quia fortiter uror,
Quod graviora animo ſunt patienda meo.
Tu quoque (ne gravius quicquam hoc naſcatur amore)
Obdura infelix, dii meliora dabunt.
Nec cura maledicta tuæ furioſa puellæ,
Illa recorderis, quæ benefacta juvant.
Cum ſemel, & ſemel illa tibi, & ſemel illa negabit,
Immitis tandem lenior hoſtis erit.
Obdura miſer, & legem hanc in amore teneto,
Firma animum, nec te tam miſer excrucies.
Hac arte eſt noſtræ contuſa ſuperbia vitæ,
Illius fregi ſic ego nequitiam.
Tu quoque ſi ingratæ vis conciliare puellæ,
Exemplo poteris me ſuperare meo.
Quiſquis amas, ſævoque ardes in amore perire,
Obdura, perfer fortiter, & patere.

X V I.

A D F L A V I A M.

POSTQUAM me odiſti mea FLAVIA ſemper & odi
Me miſerum, potui nec bene velle mihi.
Namque illi mihi nulla fides præſtatur, & illum
Non amo, quem odiſti FLAVIA amata mihi.

X V I I.

A D E A M D E M.

FLAVIA de nobis vulgi mala fama ſuſurrat
Promiſſam noſtrum fallere utrumque fidem.
Sed neque amat vere tantum rude vulgus amicam,
Ut noſcat quanta eſt noſtro in amore fides.

Digitized by Google

XVIII.

ODE.

DII quibus imperium undarum, & qui mittitis imbres
Arboribuſque, ſatiſque,
Hanc impendentem pluviam, & compeſcite ventos,
Ne obruat unda caput;
Eripite hunc capiti, & venientem avertite nimbum,
Nubila ferte procul.
Sed dii quos video flammarum albeſcere tractus,
Fulmina quanta micant?
Ecce fugit ſilvâ paſtor, lucoſque relinquit,
Agmen agens pecudum,
Et dum neſcio qua cantant dulcedine, linquunt
Compita Hamadryades:
Surgentem ob tempeſtatem de vallibus imis
Carbaſa Nauta legit,
Omnia rura natant, & plenis omnia foſſis,
Et pecus omne latet.
At me percutiunt venti, pluviæque ſolutæ,
Et caput unda ferit.
Dii removete igitur tempeſtatem imbribus atris,
Et capite aure preces.
Sive ſedet ſegeti largos infundere rores,
Hos date nocte precor;
Aut mea me optatâ donec tellure receptum
Patria ſuſcipiat,
Aut magalia, vel ramorum protegat umbra;
Facta ſine arte caſa.

XIX.

Digitized by Google

XIX.

ELEGIA

DE MARTE ET VIRTUTE.

Militat ut Mavors, & habet tentoria Virtus;
Militat & Muſis ingenioſa cohors.
Nam matutinus ſi ſurgit miles in armis,
Fortis & ignavam non ſinit eſſe tubam,
Et matutina ſurgit ſtudioſus in arte,
Strenuus ignavam nec ſinit eſſe lyram.
Si neque delectant Martem vacua otia, & ipſi
Phæbo nullo umquam tempore deſit opus;
Sî Mars ſtratus humi, & ſi ſub Jove dormit aperto,
Et dant nativi huic pumicis antra torum,
Idem ſub dio, & nativi pumicis antro
Dormit, & in nudâ tergora ponit humo.
Si non hunc terret rapidi inclementia Cœli,
Frigora nec ſolitâ detinuere viâ,
Frigora nec terrent Phæbum, aut incommoda Cæli;
Nec pluvia admiſſas qui bibit Arquus aquas.
Si Mars hoſtili dans vulnera ſæva catervæ,
Arma cruentatus ſanguinolenta ciet;
Et ſtudioſa cohors inter ſe prælia miſcet,
Certâ itidem ſibi dant vulnera certa manu.
Eſt felix igitur quiſquis duce Apolline certat,
Noluit & Martis caſtra cruenta ſequi.
Ferreus exultat Mars ſanguine, ſanguine numquam
Per Phæbum pinguis luxuriavit humus.
Auſpice non illo trepidant haſtilibus auræ
Sanguineis, nullas miſit ad arma manus;
Nulla hominum cædes, Pax eſt duce & auſpice Phæbo,
Quæ pecudes, homines, quæ moderatur aves.

Hinc

Digitized by Google

Hinc me ſub tenera Phœbo indulſiſſe juventa,
Et juvat hinc mi hedera circumiiſſe comas.
Quod ſi non poſſem huc inglorius ire, meumque
Circa cor ſanguis frigidus obſtiterit,
Flumina & irrigui placeant in vallibus amnes,
Et ſilvas & rus incoluiſſe velim.
Ipſe ego vimineis portarem poma quaſillis;
Ferrem autumnali cerea pruna die.
Ipſe ego Mænalio ſtarem, qua mille ſub antro
Fiſtula Paſtoris garrit arundinibus.
Et cum ſe ſcopulis, & cum ſe condit Hirundo,
Verberat & gelidos garrula vere lacus,
Jungam robuſtos tauros robuſtus arator,
Liberem ego emerito fervida colla Bovi.
* Dum teretes herbis videam colludere gemmas:
Et matutino rore madere diem.
Felices igitur quater ii, quibus ore benigno,
Et placido affulſit ſidere Mercurius.
His ſi haud Tænariis ſurgunt palatia tignis,
Si neque habent dives, quas tenet Indus opes.
His tamen ingenii non pauper vena beati
Efficit, ut regum deſpiciantur opes.
Hæc mihi ſi optato fulxerunt ſidera curſu,
Et ſi me Aoniis Delia lavit aquis;
Linquo ego opes aliis: quid mi cum divitis Indi
Divitiis? ſtolido nil mihi cum populo eſt.

X X.

O D E.

ET vino, & numeris juvat
Dulci lætitiæ ſolvere pectora,
Poſtquam prata rigent gelu
Hiberna, & fluvii ſunt nive turgidi,

* *Et*

Digitized by Google

Et gaudet ſtabulis pecus.
Donec alba procul canities abeſt
Mordaces mareotico
Curas, o ſocii, pellite, ne brevem
Turbet lætitiam Deus;
Aut ne ſors hominum hæc auferat invida.
Omnes ſint oculi putres
Converſi in Lalagem, & dividat oſcula
Acme delitiæ meæ:
Formoſe, & viridi flore puertiæ
Dulcis ſolve comam puer
Laſcivo vitulo luxurioſior:
Ambi colla manu
Serpentique hederæ ſis ſimilis precor,
Stringenti veterem ilicem.

XXI.

ODE NUMEROSA.

AT o Dii Deæque, & quidquid Deûm eſt in Cælo
Audite horrendum ſcelus,
Audite facinus: Ariminenſes vetulæ,
Et comitum in triviis, Magæ inamabiles,
Tinnitu puerorum acuto,
Tinnitu æris exagitemini
Sub Luna in triviis nudæ,
Vocantes triplicem Deam
Quæ præeſt veneficiis; & quæ
Ponitis veſtimenta prope filicem
Venoſam, & imaginibus cereis
Acus in cor mortalium dirigitis,
Cyclon ſpargentes ſemitarum limo,
Putrique ſaliva, marcidaque urina
Urentes lauros, crepitantes, & bitumen viſcoſum.

He-

Digitized by Google

Heſterna modo nocte vidimus, vidimus
Quum jam Bootes lentius declinaret,
Et nox intempeſta taceret, & atris
Cælum caligaret nubibus, & maritus
Imber in gremium conjugis deſcenderet,
Vidimus convolantes ad prædam execrandam,
E tecto lapſas uti edaces Aquilas,
Aggreſſæque infantis mollicelli animulam
Quæ vagiebat in cunis ſine matre.
Sine nutrice: ita exiccaſtis ſanguinem
Ita medullas abſorbiſtis impiæ,
Ut non oſſa ſuis oſſibus adhærerent.
Senſi ego membra crepitantia ſub dentibus,
Senſi artus fragiles, ſenſi tenuem vocem,
Neſcio quid triſte ſonantes: viſcera levi
Toſta Vulcano æmulabantur dapibus
Infandi Terei; vidi gramen, vidi
Enſem & cicutam, vidi venenum Theſſalum
Et reſecatum ahena falce guttur.
Horrendam ſenſi vocem: Sorores ite,
Ite huc ſorores, & ſparſæ comas ventis
Dilaceremus, & voremus infantem,
Ut quondam Mænas penthea penthea.
Ite huc ſorores, mala mater
Tuo expiabis pænam ſanguine.
Quod ſi Poeta, qui taciturnus lates
Quis te furor impegerit, ut dicas,
Caveto hunc enſem, caveto iſtam manum,
Et iracundæ Circes numina.
At ego in ſponda ſic latebam miſer
Ut cor exangue, & trepidum palpitaret,
Animæque anhelitus ne exſiliret
Conabar: latebam ut Lepus in ſtipulis,
Aut vepre reconditus arrectis

Auri-

Digitized by Google

Auribus, qui venatoris ſanguinolentum
Telum, & ſpicula promta de pharetra
Videns & prope Amicleos Moloſſos,
Dente timet rabido vorari.

XXII.

MARTINALIA CELEBRAT.

MARTINALIA ſunt, valete curæ
Mordaces: puer huc cados frequentes
Inger, dein cyathos capaciores,
Huc affer pateram, ebrioſum ut omnes
Tingamus caput ebrio Liæo.
Fer vernatiolum thyonianum,
Mero millia vaſa mi ducenta
COTTÆ plena dyota ſit falerno:
Da centum altera vaſa, deinde centum,
Da centum altera, da ducenta mille,
Ut quum multa biberimus, ſuperque
Potaverimus illa, dormiamus.
Tu verum interea, puer, memento
Nulli dicere, ne invidere poſſit
Quiſquam, quum ſciat amphoras falerni
Et vernatioli ducenta vaſa,
Et potaſſe ducenties ducenta.

XXIII.

Divo Cæſari

MAXIMO ÆMILIANO

ELEGIA.

VIVAT io felix Cæſar, geminetque triumphum,
Et Cæſar fines proroget imperii.

Aſ-

Aſſyrios dominet Cæſar, Parthoſque feroces,
 Cæſareoque Gethæ dent fera colla jugo.
Tardius accipiant hunc ſidera, terra fruatur
 Cæſare, ſit Terræ rex, domitorque Maris.
Vivet * & annoſi ſuperabit Neſtoris annos,
 Nam Parcæ longos huic cecinere dies.
Cura Deûm Cæſar vivet felicibus annis,
 Sic cupiunt homines, ſic voluere Dei.
Ecce triumphanti aſcendens Capitolia curſu,
 In Capitolinos fert ſua ſigna lares.
Huic læti arrident pueri, præſagaque veri
 Pectora dant aris tura merumque focis.
Ara Jovi ſtruitur ſtacten myrrhamque recentem,
 Ara olet, exultat cum ſeniore puer.
O mihi ſi liceat magni componere laudes
 Cæſaris, & numen demeruiſſe meum.
Ipſe Propontiaca non qua fluit Iſthmos ab unda
 Cantarem hoſpitium, nec Polydore tuum.
Nec qua ſepteno Nilus præterfluit alveo,
 Nec memorem Idæi cymbala rauca chori.
Fortia facta mei memorarem Cæſaris, & me
 Sublimem ex humili fama levaret humo.
Sed ** quia Muſa vetat ſaltem voluiſſe licebit,
 In mediaque loqui talia verba viâ:
Cæſar ave divûm ſoboles, te numina ſervent,
 *** Te ſero terris Juppiter invideat.

XXIV.

* *Io Cæſar, vincetque ætate triſeclem Neſtora Dii longos.*

** *Quoniam hoc vetitum eſt.*

*** *Teque bona magnus Juppiter auctet ope.*

XXIV.

AD FLAVIAM.

FLAVIA amarem ego te pluſquam cor, pluſquam & ocellos
* Aut ſi quid corde eſt carius atque oculis.
Sentirem ex animo proprie ſi mutuo amari;
Non ideo haud amo te, at cogor amare minus.
Quare ſi ſapies ut de te impenſius urar,
Incipies & amare, & magis atque magis.
Ne neglectus ego aut aliam mihi comparem amicam,
Aut aliam quæ me exardeat igne pari.
Huic quicquid poterunt omnes benedicere amantes,
Aut facere, hæc a me dictaque, factaque erunt.
** Invida tu interea, invidia carperis acerba,
Cumque tuis vives libera adulteriis:
Hoc tamen haud cupio, o Superi; at miſeremini utrumque,
Reddite, & hanc veſtra pro pietate mihi;
Aut hanc conciliate, & non diſſolvite: poſſum
Non deſiſtere amare omnia ſi paterer,

XXV.

DE COTTA VERONENSI.

HÆc infauſta dies, nigroque notanda lapillo,
Semper triſtis erit (ſic voluere Dei)
Quando

* *Si me & amares ut nata patrem atque virum;*
Sed quoniam ex animo proprie nil ſentio amari.

** *Invida tu interea, inſano capieris amore.*
Cumque tuis vives libera adulteriis:
Hoc tamen, o Superi, aſpicite, & miſeremini utrumque;
Reddite & illam mi pro pietate mei.

Digitized by Google

Quandoquidem illa mihi miſero te frater ademit,
 * Unice, COTTA, decus Pieridum, & Veneris.
Hac iccirco die tabeſcent lumina fletu,
 Nec ** ceſſabo meas imbre rigare genas.
Et ne forte animo noſtro effluxiſſe putares,
 Priſco more tuo ſacra feram tumulo.
Quin etiam ne forſan edax te deleat ætas,
 Sæcula te in noſtro carmine pervolüent.

XXVI.

AD AMICUM.

MUSÆ Clavigero meo Poetæ,
Vellem paucula verba nuntiare,
Ut ſe ſe ferat ad ſuum ſodalem,
Montanas Stenici domos relinquens.
Quod (ſi quid poterit fides) repente,
Huc greſſu celeri viam vorabit.
Namque eſt pollicitus ſuo Poetæ,
Venturum huc, licet hunc roget morari
Uxor caſta, ducentieſque collo,
Utraſque injiciens manus, precetur
Ne ſe ſe ferat ad malum Poetam,
Et det millia baſiationum.
Quod ſi huc accelerabis o Poeta,
Quantum ſuſcipies facetiarum!
Quantum ſuſcipies cachinnulorum!
Hic regina Paphi, ac arundinoſi
Gnidi non renuet diebus octo
Tecum continuas *** movere rixas.
Hic multas tibi cogitationes,

Volo

* *O Cotta & Muſarum decus & Veneris.*
Item *O Cotta & Veronæ & decus Italiæ.*
** *Ceſſaturum.*
*** *Jacere noctes.*

Volo pandere, namque tu ſolebas
Partiri quoque tu tuas Camænas,
Scripta hic cruſcula, & os, papillulaſque
Formoſæ Lalages meæ videbis:
Quæ cum perlegeris, & ſatis ſuperque,
Una cum agricolis agros petemus
Omni depoſita ſeveritate.
Dices tunc Patrii Lares valete,
Arcus mi placet, hi placent receſſus,
Hic eſt altera Roma judicandus.

XXVII.

Ad Illuſtriſſimum

SIGISMUNDUM ESTENSEM.

TE Sidus Mundi veri dixere parentes:
Nam totum illuſtras variis virtutibus Orbem:
Hinc tibi divinos debere fatemur honores,
Attamen hos quos ſilva tulit ne deſpice fructus.

XXVIII.

BRIXIÆ CALAMITAS.

* ROMANI Heroes, & vos fortiſſima quondam
Pectora, quæ toties ſudiſtis finibus hoſtes
Heſperiæ, quorum ſenſit gens barbara vires,
Decolor audito quo nomine palluit Indus,
Auſpiciis quorum toties illa inclita Roma
Imperium terris animos æquavit Olimpo,
Audite hæc, ſeu vos regio tenet ardua Cæli,
Juppiter & merito Superûm dignatur honore,

O Seu

* *Antiqui Heroes Romanaque pectora quondam. Fortia.*

Seu vos Elyſias ſedes, & amœna vireta
Excolitis; vos Scipiade, & te maxime Cæſar,
Illuſtres animæ teſtor, quæ fata Latinos
Sæva manent? aut quæ miſeris fortuna minatur?
Tota ruit bello Italia, & jam feſſa procumbit:
Degeneres dant terga Itali, jam tota cruore
Exundat, multoque implebit milite foſſas
Brixia. Mela virûm tam crebra cadavera volvit,
Quanta olim flavis Xantus verſabat arenis;
Cum paſſim cæſis Phrygiorum corporum acervis
Cæde tepefaceret rivos animoſus Achilles.
Flent mæſtæ miseræ natorum in funere matres,
Et dirum bellum, & crudelia ſidera damnant,
Percutiuntque ſuis moriturae pectora palmis.
Apparet belli facies & ſævit Erynnis;
Huc illuc rapidis inſiſtens pronus habenis
It Mavors, acuitque animos acerque cruento
Ore ſonat propius, ferro, & concurritur armis;
Agmina crebra cadunt præruptus ubique virûm mons;
Brixia magna ruit, miles bachatur in urbe
Sanguineam quatiens haſtam, & populatur opima
Tecta patrum, antiquaſque domos, veterumque labores.
Non poſſum hæc memorare, & fando talia obortas
Totus eo in lacrimas, ſed adhuc pejora ſuperſunt.
Iccirco ut facinus memori per ſæcula fama
Noteſcat magis atque magis, contexere chartis
Nitor, & hoc jubeo noſtros odiſſe Nepotes.
Templorum ante fores, puerique, & vulgus inerme,
Et matres feſſique ſenes, & mixta juventus
Sternuntur, matriſque ſinu divellitur infans,
Infans qui miseræ portendit brachia matri,
Auxilium balbo ore vocans, balbo ore ſuſurrans
Inque ipſis adytis Divûm, dum multa precatur
Dum libat pateris, diro cadit enſe ſacerdos

Ante

Digitized by Google

Ante Deos, araſque recenti ſanguine fædat
Protinus, & ſedes Divûm, & ſimulacra feruntur
Aurea, virgineas audet contingere vittas
Barbarus; ah male caute Deûm quid magna laceſſis
Numina, vel quæ te dementia barbare adegit
Horrendum patrare ſcelus? dabis improbe pænas
Sanguine quum Eridani manabunt alta cruore
Litora, vicinæ quod ſentiet ora Ravennæ.
Quin & fatidici monitus, celeſtiaque aſtra
Divorumque arcana ferunt nunc affore tempus,
Quo matres Gallique ſenes in funere tanto
Natorum madidos involvent pulvere crines.
Ceſſabunt inter ſe ſe diſcordia tela
Italiæ, unanimes Itali fera bella movebunt.
Gallorum noſtri madefient ſanguine cives,
Gallorum infeſto ſternentur corpora ferro,
Et conjuratus deſcendet montibus hoſtis
* Aſſuetus duros bello tolerare labores.
Egregios Italorum animos præclaraque facta
Sentiet Oceanus, ſpargentur & Helleſponto;
Nam poſtquam Imperii crevit furioſa libido,
Gallorum crevitque injuſta potentia Regni
Juſtitia, & fixis venit captiva ſub haſtis,
** Ipſe Deus triſti conſpexit talia vultu;
Nam neque jam Gallis, pietas non vivere parto
Cura fuit, propriiſque opibus traducere vitam.
Sed fanda, atque nefanda malo miſcere furore,
Sollicitique omnes nomen delere Latinum
Auſi ſunt violare Deos, neque parcere templis.
Iccirco Cæſar, qui jura piumque tuetur,
Italiam triſtem, & gentem miſeratus amicam

* *Germanus ſuetus belli.*
** *Averſo Omnipotens.*

Auxilium tulit, atque hoſtes exoſus acerbos
Italiæ juſſit pacem regnare per urbes.

XXIX.

EPIGRAMMA
DE TURRIO SEPULTO.

* TURRIUS ut tumulo nuper caput extulit alto,
Hæredes, dixit, hoc prohibete nefas;
Ne violet manes noſtros, aut quis malus ultro
Vates me offendat carmine peſtifero.

XXX.

AD FLAVIAM TICINENSEM.

DULCIS FLAVIA candor Italarum,
** Quotque ſunt, & erunt puellularum:
Dulcis FLAVIA, tantum amata, quantum
Dilecta eſt, nec amabitur puella.
Quam triſtis Ticini recedo ab Urbe,
*** Dum te candidulam miſer relinquo.
Sed vates meus, & meus ſodalis
Ducit me in patriam mei Catulli.
Hinc nos ſarcinulis bene expeditis
Sulcamus celeri Padum phaſello;
Verum ille auſpicio beatiore
Ad carum accelerat ſuum parentem:
Sylvanum ille videbit, & Penates,
Dulcem conciliabit Ipſityllam;
Et cara potietur Ipſitylla,

Illum

* *Turrianus nuper tumulo caput extulit alto,*
Dixit & Hæredes hoc prohibete nefas.
** *Et quot.*
*** *Formoſam faciem miſer relinquens.*

† Illum ſuſcipiet petulca Conjux
Laſſum, & languidulum * toro fovebit.
Quod ſi non mihi falſa nuntiantur,
Jamdudum Veneri Cupidinique
Votum perſolüit bona Ipſitylla,
Orans ut ſibi reſtitutus adſit
Vir quo deperit impotente amore.
Quis felicior hoc beatiorve?
Quis me triſtior infacetiorve?
Cum nil ſit mihi vel boni aut beati,
Dum linquo lepidos meos amores.
Verum hæc ſpes ſupereſt meo dolori
(Paucis ſi mihi Dii favent diebus)
Rurſus me referam ad meam puellam.
Tunc riſus profugi, cachinnulique,
Et mecum hic aderunt mei lepores,
Lepores mihi, quos dedit Cupido.
Tu mellita labella mordicabis,
Et mellita labella mordicabo.
† Tu mi denticulis notam relinques
Impreſſam, & tibi dentibus relinquam,
Et tu baſia mille, ego & ducenta, & mille,
Et mille in roſeis genis relinquam.
Duces ſtamina, ducam ego ad lucernam,
Hibernis quoque noctibus recenſens
Fabellas vigilabo, & otioſus
Sorbillabo merum Thionianum,
Suavi nectare dulcius Deorum.
Jucundum mihi tu dabis liquorem,
Unguentum, & capiti, & roſam ac amomum,
Cincta & tu caput ebrium coronâ,

† *Hic duos verſus omittendos putavi.*
* *Virum.*
† *Hic duos alios verſus omiſi.*

Digitized by Google

Ut cum multa biberimus, ſuperque
Potaverimus illa, neſciamus
Quæ fecerimus in toro ebrioſi,
Nec nutrix ſciat, aut meus miniſter.
Tu caſta interea, & pudica vive:
At vos ite procul mutoniati
Columbis Paphiis ſalaciores;
Quod ſi quis furor in meam puellam,
Aut ſi vos mala mens aget ſceleſtos,
Dii dent tot mala, totque, totque, totque
Ut nec vos moveatis incitatos,
Poſſitiſve rudes movere lumbos. †

XXXI.

*AD LYGDEN.

JAM ver egelidum procul receſſit,
Æſtus jam rediit ſiticuloſa,
Ardenteſque Canis hiulcat agros;
LYGDE Romuleos lares relinque,
Ne te corripiant mali calores
Et Romæ aridus aer æſtuoſæ.
Huc ad me venias, ubi benigne
Ocellus tibi plaudet inſularum,
Dulcis patria, Sirmio, Catulli.
Jucundos Zephyri hic movent ſuſurros,
Hic & ** pervolitans puer vagatur,
Et ſcindit mare limpidum phaſello.

Quum

† *Duos verſus expunximus.*
* *Ad Lalagem.*
** *Pertrepidans.*

Digitized by Google

* Quum primum hic aderis, tuos ocellos
Mellitos adeo uſque baſiabo,
Ut cor ſit ſaturum meum futurum,
Cum donavero baſiationem
Aridis tibi denſiorem ariſtis.

XXXII.

AD MACRUM,

ODE.

JAM** deſævit hiems, grata vice gramina campis
Parturit almus ager.
Laxant arva ſinus, nunc omnis pullulat arbos,
Et nemus omne viret.
Jam flos omnis hiat pratis, & lilia ſurgunt
Candidiora nive.
Nunc eſt ludendum, magno nunc ore ſonandum eſt
MACRE, ſub arboribus;
Nunc decet & mollis myrthi, laurique virentis
Cingere fronde comam:
Nunc decet in triviis ſub Luna agitare choreas,
Et canere ante Deos;
Aut cum Virginibus pia dicere verba Dianæ,
Et dare tura focis.
Vere igitur ſtillent puro tibi tempora nardo,
Frons madeatque mero.
Atque ubi ſunt croceis halantes floribus horti,
Candide MACRE, veni:
Namque tibi e viola, ferrugineoque hyacintho
Delia ſerta facit.
Huc ades unanimis ſit amor ſimul omnibus idem,
Omnibus una quies,

* *Quod quum veneris huc.*
** *Deceſſit.*

Et dum longa dies, & declinat rapidus Sol,
Carmina læta cane:
Neu mordax ſomnos abrumpat cura ſalubres
Cæcuba, Macre, bibe;
Et mecum flores legito & vaccinia nigra:
Cætera linque Deo.

XXXIII.

IRIDI

DE ARCHI TUTELA.

Iri decus Cæli, Junonis nuncia magnæ,
Arquum quæ vario picta colore trahis,
Sis placida, & felix Arquenſibus omine læto,
Sitque tuâ ſemper Patria ſoſpes ope.

XXXIV.

DE BATYLLA.

Risum cara mihi movet Batylla,
Et mecum pariter benigna ridet;
Quo riſu æthera turbidum ſerenat,
Et rident Charites, Cupidineſque.
Hanc vos o teneri mei Poetæ
Laudate Hendecaſyllabis venuſtis,
Ut quondam potuit meus Catullus
Famam tradere Lesbiæ perennem;
Sed dicam hoc venia mei Catulli,
Si nunc viveret eſſe Formiani
Amicam illepidam ſuam putaret
Præ cara, & lepida mea Batylla.

XXXV.

Digitized by Google

XXXV.

AD LALAGEM.

QUum loquitur Lalage ſpirant ex ore lepores,
Eloquiumque omni dulcius ambroſia.
Venti ne verba hæc Superûm referatis ad aures,
Ne mihi dii & magnus Juppiter invideat.

XXXVI.

AD JUCUNDUM.

SCilicet ex animo dicam hoc, Jucunde Poeta,
Ingenueque iſtud, & ſine fraude loquar,
Quod tu diſcedens noſtræ ſolatia vitæ
Eripis, & nobis omnia noſtra bona.
Nam quum inter reliquos eſſes mihi carus amicos,
Tu mihi curarum molle levamen eras;
Quare ſi qua tibi eſt pietas, ne deſere amicum,
Nam ſine te nihil eſt vivere dulce meum.

XXXVII.

AD PUELLAM.

SCAZON.

PUella inepta deſinas ſuperbire,
† Quæ me tuo ex amore perditum ducis.
Non te ſequor, nec amplius miſer vivo;
At tu ſuperba me rogabis invitum,
Meumque utraque vinciens manu collum,
Jam facta blanda, deſines ſuperbire,

Ego

† *Unum hic verſum expunxi.*

Digitized by Google

Ego obſtinatus, ut ſilex mari vaſto
Tuas nec ipſe ſentiam preces ſurdus.

XXXVIII.

AD AMICUM.

UT Virguncula mollicella ſuevit
Dormire in tremula parentis ulna,
Aut matris gremio pie foveri
Ambas injiciens manus papillis;
Quod ſi hanc lacteolo ſinu revellit
Quiſquam, turgidulos fricans ocellos,
Fundit lacrimulas ſcaturientes:
Noſter ſic liber infaceta charta
Ad te dum properat, dolet moveri
Ex dulci hoſpitio ſui Poetæ.
Namque conſcius eſt ineptiarum,
Et ſcombros timet, & timet cucullos.
Sed ſolum hoc relevat ſuum dolorem,
Quod dum quiſque cupit tibi placere,
Has laudes leget, & tuum decorem
Miratus, veniam dabit libello,
Et parcet tenero ſuo Poetæ.

XXXIX.

P. A. JANONIO,

ELEGIA.

CUR ſacros iterum colles, & amœna vireta,
Pieridum, & ſanctos auſus inire choros?
am te deſuetum Muſæ riſere canentem,
Venit & ad numeros ægra Thalia tuos.

Hoc

Hoc peperit conjux, & habendi cæca libido,
Et nomen patris hoc tibi dulce dedit.
Quam ſatius fuerat viduo dormire cubili,
Clamoſum & numquam ſollicitare forum.
Quin etiam culto contentus jugere terræ
Vivere, divitiis nec ſatiare ſitim.
Forſitan immenſo vixiſſes cognitus orbe,
Quaque patent terræ, quaque patent maria.
Nec te te vexarent miſeræ mala plurima vitæ,
Nec tibi mors, tempus nec nocuiſſet edax.
DELPHICA vixiſſet totum cantata per orbem,
Quæ tecum infelix tota ſepulta jacet.
Ergo quum fueris poſtrema morte ſolutus,
Ipſe tui nulla parte ſuperſtes eris.
Et circa tumulum levis obdenſabitur umbra,
Obducet tenebris nox tibi cæca caput.
Et tua tranſibunt ſpernentes oſſa Camænæ,
* Dum accedet cineri gloria nulla tuo.

XL.

AUSPICIUM.

ASPICIO ſeptem carpentes æthera Cygnos,
Et circum volitat blanda columba caput;
Felices eritis noſtri (ni fallor) amores,
Nam noſco Veneris omina fauſta Deæ.

XLI.

AD VENEREM.

ALMA VENUS Regina potens hominumque, Deûmque
O Dea, frondoſûm quæ colis Idalium,

Fac

* *Et veniet.*

Digitized by Google

Fac thalamum, noſtraſque habitet concordia ſedes,
Et Pax has ædes incolat, & Genius.
Sint procul hinc curæ & triſti Diſcordia vultu,
Et procul hinc rixarum omne genus fugiat.
Sic face, ut hic mecum vivat ſine lite Neæra,
Ut per nos veniat nulla querela tibi.

XLII.

DE ANDRA PUELLA.

IN nodum tortos collegerat Andra capillos,
Et levis aureolam huic ſparſerat aura comam,
Illiuſque vagis radiabat lumen ocellis,
Ut Veneris Cælo ſplendida ſtella micat,
Indueratque pium facies formoſa colorem,
Et gratus ſteterat ſuſus in ore rubor.
Tunc ego cui molles carpebat flamma medullas
Arſi, nec nôram quid ferus eſſet Amor.
Forma Andræ cæleſtis erat, mortale ſonabat
Vox nihil, & certe hæc eſt Dea viſa mihi.
Pace igitur veſtrâ cæleſtia Numina dicam,
Contigit humano nuper amare Deam.

XLIII.

VOTUM BUMASTI AD BACCHUM.

VInitor hos tibi Bumastus dat Bacche racemos,
Et libans pateris dat nova muſta tuis;
Et rogat, ut calcata ſuo vindemmia prælo
Illius linguam vinciat, atque pedes.

XLIV.

Digitized by Google

XLIV.

VOTUM SYLVII.

HAs modo decerptas ex palmite Sylvius uvas
Pampineo Autumno dat tibi Bacche pater.
Et rogat ut pleno ſpumet vindemmia lintre,
Atque illi muſto dolia plena fluant.
Agricolæ hunc hircum verubus torrete colurnis,
Et Baccho laudes dicite rite ſuas.
Impleat ut noſtras divino nectare cellas,
Et ſint plena ſuis omnia muneribus.

XLV.

ODE DYSTROPHOS.

ILle mi Cœlo, & Superis videtur
More par, qui inter mediocritatem
Auream vivit, neque ſumptuoſa
Pallet in aula.
Qui per hoſtilem eſt gladium expeditus
Ire pro cara patria, & pericia
* Nulla metiri. huic neque conſularis
Purpura curæ,
Nec peregrinus male feriato
Splendet in menſa tenui Liæus,
Cum caſa, & fundo, & lare liberali,
Paupere vita.
Huic neque horrendi tuba rauca Martis
Eximit ſomnos, neque præliantum
Sæva vis, & nec feriente Erynni
Turba cadentum.

Huic

* *Quæque.*

Digitized by Google

Huic in umbroſis licet eſculetis
Tuta dormire, hunc neque ter bis Afro
Veſtiunt lanæ, generoſiori
    Murice tinctæ.
O mihi ſi ſint mihi parva rura,
Et greges, & ſit mihi vita agreſtis
Ter, quater felix ferar imo ab omni
    Parte beatus.
Dummodo & Phæbus tenuem Camænæ
Spiritum haud mendax mihi det, profanum
Spernere & vulgum, atque inimica ſacris
    Ora Poetis.
Non magis Cræſi cumulata curem
Dona, nec rubri Oceani lapillos
Invidus nulli, invidiaque major
    Sorte beata.

XLVI.

AD GERMANOS.

Affectate viam Cœlo Germana juventus,
    Ut veſtrum vates nomen in aſtra ferant,
Nec dubitate mori, & belli tolerare labores;
    Ite, & parta foris ſigna referte domum:
Gallorum juſto contundite marte Tyrannum:
    Impia cum Parthis fædera Gallus habet.
Quicumque hic morietur, habebit victor honorem
    * Inſignem, & claro funere notus erit.

XLVII.

* *Supremum.*

Digitized by Google

XLVII.

AD BATTUM, ET FRASTORUM, ET FELICEM,

ELEGIA.

* DUm redit Autumnus, dum torrida præterit æſtas
Annuus exactis menſibus orbis adeſt.
** At nos reliquias divinique oſſa ſepulcro
Condidimus TURRÎ triſtibus inferiis.
BATTE igitur, ſeu te priſcorum Roma virorum
Mater alit, Veneti ſeu tenet ora maris,
(Nam te Veronâ dixerunt affore multi
Iamdudum, & patrios deſeruiſſe lares)
Pone illi tumulum, & tumulo ſuperaddito inanì
Exuvias fratris triſtia dona tui.
Annua vota etiam veterum de more parentum,
Et pompam ſolemnem anxius exſequere;
Namque infauſta dies, nigroque notanda lapillo
Hæc tibi ſemper erit: ſic voluere Dei.
Quod tibi ne rurſus videar renovare dolorem
Singula prætereo, dicere nam miſerum eſt,
*** Cum tibi turgiduli tabeſcant ſemper ocelli,
Et pluvia ex oculis candida præcipitat,
Flebilibuſque modis fraternum urgere ſepulcrum
Non ceſſas, teque his excruciare malis;
Ulla tuum neque non poſſunt lenire dolorem
Gaudia, ſed ploras fletibus aſſiduis,
Ante tuos oculos verſatur ſemper imago,
Illius & ſemper triſtior interitu es.

Hanc

* *Mobilis Autumnus redit & jam præterit æſtas.*
** *Ex quo.*
*** *Nam tibi turgiduli tabeſcunt.*

Digitized by Google

Hanc olim pietatem æternis condere chartis
Nitar, ſcribendoque invigilabo magis,
Ut te hæc, atque alia atque alia, & te quælibet ætas,
Et gens te Europæ noſcitet, atque Aſiæ:
Laudibus eximiis & te vaga fama loquatur,
Et veniens una, atque altera poſteritas.
At tu quem Verona tenet, Verona virorum
Altrix & virtutum omnium amica parens,
Huc adſis FRASTORI, & * flores ſparge ſepulcro,
Et lacrimas mæſtas floribus adde tuis.
Carmina dic quibus es Battum ſolatus amicum,
Talia nam noſter carmina MARCUS amat.
Ille tibi moriens artem donaſſe medendi
Dicitur, & famæ conſuluiſſe tuæ:
Ille etiam te fraterno dilexit amore,
Tempore quo veſtis tradita pura tibi eſt:
Crevit amor veſter pariter creſcentibus annis,
Nam ſtudium, atque eadem cura in amore fuit.
Ille etiam juvenis cauſas, arcanaque rerum
Aſtrorumque ortus noverat atque obitus:
Illâ tempeſtate ferox Mors abſtulit illum,
Cum factis famam extenderet egregiis.
Purpureos igitur flores huic ſparge ſepulcro,
Dic muto & requiem perpetuam cineri.
** Tu quoque qui Tenni rupes colis, o bone FELIX,
Quem bello, & genuit Felſina clara toga,
Dic tumulo pia verba, & lauro altaria cinge;
Nonne vides, Deus eſt TURRIUS ille Deus.
Ecce novum magno proceſſit Sidus Olimpo,
Hæc TURRI ſero veſpere Stella micat.
Exoritur nitidæ ſemper dux prævia Lunæ,
Et ſemper claro lumine conſpicua eſt.

Cre-

* *Maſcula tura cremato.*
** *Quique Tridentinas Alpes.*

Ergo adſis, Turri, noſtræque illabere menti,
* Hæc tibi namque damus florida ſerta Deo,
Gratamurque Deum, & meritos largimur honores,
Teque ſalutamus rupibus aereis,
Ipſe tibi Phœbi natus favet, ipſe rogatus
Ripicolas ſævo perdidit exitio.
Nam fama eſt cum olim tua funera portarentur
Hos tumulum votis non decoraſſe tuum:
Illorum hinc ſævit peſtis veſana medullis,
Infecit miſerum vulgus acerba lues.
Ripicolæ ** hoc igitur numen celebrate quot annis,
Sanguine taurino pacificate Deum.
Reſpice me, Turri, interea, tibi munera ſemper,
Semper digna tuâ carmina morte feram;
Neu te tempus edax ſcabra rubigine tangat,
Sæcula te in *** noſtris longa legent tabulis.

XLVIII.

Epitaphium

ALTINI ADOLESCENTIS SUBMERSI.

Hunc tumulum lauruſque, & florida myrtus inumbrent:
Hic jacet & Muſarum decus, & Veneris
Altinus, quem traxere in maria alta capillis
Nymphæ, dum vitreis ſe ſpeculatur aquis.
Hic igitur veniet pelagi Deus omnibus undis,
Oceanus generum hunc, & ſibi Thetis emet.
Hic & componet fluctus, huic ſerviet æquor,
Illius & Nautæ Numina ſola colent.

P XLIX.

* *Florida namque damus hæc tibi ſerta Deo.*
** *Hunc igitur tumulum.*
*** *Noſtro carmine pervoluent.*

Digitized by Google

XLIX.

AD DIANAM.

In Itinere Bondoni.

* BONDONI petimus ſacros receſſus,
Qui ſublimia fronte tangit aſtra,
Cujus plurima vallibus vireſcit
** Triſtes herba potens levare morbos.
Iccirco o pueri, puellulæque
Dianam, & teneram ſimul cohortem
Precemur mihi quod ferant ſalutem .
Cælebs o nemorum potens DIANA
Montium Dea, montium patrona
Vos Nymphæ Dryades, Oreadeſque,
Tu Sylvane ſacram ferens cupreſſum
Ab radice memor tui doloris:
Phæbe artis medicæ, & lyræ repertor,
Tuque o Pan Deus horridi Lycei,
*** Tu Bondone Pater, precor docete
Quæ ſit herba valens levare amorem,
Inſano ut medicer meo furori.

L.

DE ODORICO PATRE

Sanitati Reſtituto.

PRIMA dies anni eſt, procul hic, procul ite profani,
Ore favete pii, nam ſacer annus erit.

Ture

* *Dum Baldi.*
** *Morbis herba potens, potens & ægris.*
Dianam o pueri, puellulæque,
Nympharum & tenerum chorum advocemus.
Bona nos ope ſoſpitet, & auctet.
*** *Tuque o Balde.*

Digitized by Google

Ture Deos placare juvat, placare Tonantem,
Qui Patrem incolumem nunc mihi reſtituit,
Qui dudum graviter morbo confectus acerbo
Expulerat noſtro pectore lætitiam.
Nunc mihi diſperеam, ſi non ſunt omnia læta,
Diſperеam, ſi non omnia grata mihi.
Nunc decet, & lauros crepitantes urere flammis,
Nunc decet Aſſyrio tingere odore comam;
Namque valet, ſomnoſque capit velut ante ſalubres,
Et fugit e venis huic mala pernicies.
Icсirco poſſum vobiſcum ludere *, vino,
O ſocii, & feſto me exhilarare die.
Quid magis optatum hoc? quid erat felicius uſquam?
Quæ poterat nobis clarior eſſe dies?
Et quis me vivit felicior! Ite ſodales,
Lætitiâ hoc mecum tempore deſipite.

L I.

De Saxis

APUD DIVUM APOLLINAREM

Archenſem.

HAnc molem præruptam, hæc ſaxa immania cerne
Ut paſſim e magno monte revulſa jacent,
** Quæ jam montis erant partes, ſed ſingula ſenſim
Provolvit duro dente ſenecta gravis.
Nil mirum eſt igitur ſi obnoxia corpora morti
Noſtra cadunt: ætas invida cuncta rapit.

* *Multum.*
** *Hac.*

Digitized by Google

LII.

DE BATYLLA ET ADONIA.

* Ejeci illepidæ Batyllæ amorem,
Hunc transfudi in Adoniam petulcam.
Namque una hæc mihi mutuos amores
Promiſit, dedit fidem viciſſim,
Et dixit, fore ſe meam puellam;
Dixit, ſed quia perfidæ puellæ
Dum munuſcula geſtiunt âpiſci
Viros decipiunt, fideque abuſæ
Et jurant, & inaniter paciſci
Nil curant, Venus iſtud adjuvato:
** Tu fac perpetuum utriuſque amorem,
Et dicta hæc facias rata, & probato.

LIII.

AD MYRMICUM, ET UXOREM.

Pulchre convenit improbo Marito
Uxor, cui neque dos, ager nec ullus;
*** Sed ſolum tineis referta capſa eſt.
Nec curat tineas, truceſve blattas,
Nam ſola eſt toga trita, lectuluſque,
Atque hic durior horridis lapillis.
Ob hanc, Myrmice, te putas beatum,
Nam pauper, tamen, inquis, eſt venuſta,
Sed neque iſtud habet. labello hiante eſt,
Deformis macie, hirculis ocellis,
Tota eſt cornea, nec cacabit anno

For-

* *Abjeci.*
** *Et.*
*** *Solum capſula araneis referta eſt.*

Digitized by Google

Formicæ ſimilem cacationem;
Sed nec (judice me) hæc ſatis beata eſt,
Maritum quod habet nimis voracem,
Hanc qui prandiolo comeſſe poſſit
Semper luridus exuritione.
* Saltem non poteris tuam timere
Dotem ne voret. Uxor hinc beata es,
Hinc eſt Conjugium bene auſpicatum.

LIV.

Elegia ad

VICINOS,

DE PUELLA TICINENSI.

Vicini, moneo, noſtram ſervate puellam,
Ut vitam in lecto cælibe iners faciat.
Neu ſinite hanc intro cupidos admittere amantes,
Laſcivam facilis ne ruat in Venerem.
Et ſi templa petit, ne quis malus auferat illam
Reſpicite, & nullis credite blanditiis.
Quam teneræ ætati male creditur! illa venuſta eſt,
Sunt animi molles, formaque digna coli;
Iccirco haud facile eſt pulchram ſervare puellam.
Ergo cur dominâ cogor abeſſe mea?
Ah pereat bellum, pereat quoque miles iniquus,
Vaſtatum miſeram qui petit Italiam.
Si non bella forent nos affore conaremur,
Nec timidum me abſens excruciaret hera;
Hic intermiſſos inſtauraremur amores
Et Ticini ſtaret nobile Gymnaſium.
Invitus fateor, terra Ticinide ceſſi,
Invitus juro numina magna Deûm.

* *Sed tu.*

Quamvis mens præſaga mali ſuadebat abire,
Et quamprimum hoſtes affore rumor erat;
Illa tempeſtate Patris non cura tenebat,
Nec patriæ dulcis me revocabat amor.
Sed Lalage mea cura, & carior omnibus una
Curarum, atque mali dulce levamen erat.
Pro quo nunc ego vota Deis, & munera porto;
Illius ut liceat rurſus amore frui.
Et rimæ arcanas iterum committere voces,
Et tremulum ficta fallere voce ſenem.
† Hæc pia fata velint, utinam fera prælia abeſſent;
Dulcis amor me hujus ſiſteret in gremio.

L V.

JULIO TURRIANO VERONENSI.

JULI ni pigeat tuos amores,
Quos ardes nimis impotente amore,
Velim mi referas tuo Poetæ:
Nam ſi ſunt lepidi, & ſatis venuſti
Volo ſcribere nec tacere poſſum;
Si ſunt illepidi, ac inelegantes,
Volo ducere candidam puellam,
Quæ te ſub teneris fovebit ulnis,
Quæ te ſuſcipiet benigno amore,
Quam ſuges ſimul, oſculaberiſque:
Sed dum te gremio fovebit illa
Miſcens millia baſiationum
Cave, ne placidum tibi venenum
Inſtillet labiis & ore hiulco;
Nam dum hæc baſia porriget labellis,
† Orabis ſubito Deos, Deaſque,
Totum ut te faciant repente linguam.

LVI.

† *Duos verſus rejecimus.*
† *Et hic alios duos.*

Digitized by Google

LVI.

EPIGRAMMA

Ad Amicam.

NEc volo, nec poſſum ſi vellem perdite amare
Illam, quæ me ipſum non amat ex animo;
At contra, non poſſem illam niſi perdite amare,
Quam pariter noſtri mutua cura tenet.

LVII.

JAMBUS IN RIPAM.

ATo bene eſt, jaces iniqua Patria
Jaces Jaces nefanda RIPA adultera
Tuis ſepulcra facta ubique civibus;
Jacent & oſſa ſolibus carentia,
Inominata pares feris rapacibus
Relicta, diſſipata ſunt cadavera
Et inſepulta membra ſunt ſub æthere;
Vagantur intus, intus horridi fremunt
Lupi, per ipſa templa ſunt, imagines
Deorum, & æra miris quam pallent modis!
Collucet intus atra fax Proſerpinæ,
Ut quæ peſtis egit inſolentiam
Tuam repente * depulit libidinem.
Sed hæc putabas eſſe ſpreturos Deos,
Cum non timebas impudica Cæſarem,
Neque hoc putabas eſſe cognitiſſimum.
Eras lupanar hoſpitale Virginum,
Amata RIPA ſcortis, atque adulteris.
Quid amplius vis execrata Patria?

* *Diſpulit.*

Digitized by Google

Quæ te manet ruina, qualis exitus?
Niſi revulſa monte ſaxa (quod precor)
Repente vertant in caput tuum domos.

LVIII.

AD VIRGINEM LAURETI.

LAURETUM ut colis & Cælum pulcherrima VIRGO,
Lauretum, & Cælum te pia VIRGO colit.

LIX.

AD TROPHINUM BONONIENSEM.

QUÆRIS verſiculos meos, TROPHINE,
Petiſque a miſero beata dona:
Quod, tu ne amplius hæc petas neganti,
Atque ægro hoc animo, & feras moleſte,
Inſanum accipe tu meum dolorem:
Quod ſi non ego te bonum, & fidelem
Cognôſſem, & mihi * amabilem ſodalem,
Neque hos verſiculos tibi dediſſem,
Invita mihi conditos minerva.
Nam liqui Ticini meam Neæram,
Meas delitias, meos amores,
Quæ quodcumque mihi fuit beati
(Si quidquam mihi contigit beati)
Servans ſecum habet, & meæ Camænæ
Sunt mutæ ſine candida Neæra.

LX.

* *Mutuum.*

Digitized by Google

L X.

ODE AD SE IPSUM.

QUo te cæcus amor rapit
Ludi, & ſollicita cura pecuniæ
Ut perdas, miſer ah miſer,
Tempus, nonne vides, irrevocabile?
Quod ventis fugit ocius,
Et velocius eſt fulminis impetu?
Quin tu quin potius petis
Florentem ſtudio ignobilis otii
Ticinum, & ſolita lyra
Olim * deducta paras texere carmina:
Quin vulgus fugis inſolens,
Ne famæ venias immemor inclytæ,
Quæ poſt fata renaſcitur.

L X I.

DE FILIO, DINÆ ARCHIÆ ET PARIDI CERESARA NATO.

NAtus parvulus eſt meæ Sorori,
Et Matri ſimilis ſuæ, & Parenti,
Cognovitque piam repente Matrem,
Porrexit teneras manus Parenti,
** Et pulchrum ore refert Patrem venuſto.
Expleviſſe negat Pater tuendo,
Depaſcitque avidos ſuos ocellos,
Hunc miratur, & elevat, ſtupetque,

As-

* *Incepta paras condere.*
** *Et patrem ore refert ſuum pudico.*

Digitized by Google

Atque hic progeniem ſuam ſalutat.
Nos ergo huic puero bene ominemur,
Huic annos triplices canant Sorores
Cani Neſtoris, & dies Sybillæ.
Forma Nirea vincat atque Adonim
Succreſcat puer hic bonus Poeta,
Orator bonus, & ſuos Parentes
Soſpites videat diu, & beatos.
Sic Parcæ cecinere, ſic futurum eſt,
Dextriſque omnia nutibus probarunt.

LXII.

AD PICTOREM EX G.

NE mihi Pleiades pingas, neque pinge Bootem,
Quid cum ſideribus, Pleiadibuſque mihi?
Formoſam Venerem, & natos per inane volantes
Pinge mihi: portet hunc fluvialis Anas,
Hic ſedeat picto Pavone, hunc Phaſidis ales,
Portet, Strymoniam ſed * frenet ille gruem;
Pinge Acidalias Charites, lætumque Hymenæum,
Lætitiæque Patrem pinge mihi Bromium.

LXIII.

RECORDATIO LUCTUOSA SEMPER.

ERGO non potuit tam ſævum perdere corpus,
Non ſcelerum potuit obruere unda caput.
Parcite dii, loquor iratus, non eſtis Olympo,
Aut hominum vobis impia facta placent.

Aja-

* Regat:

Digitized by Google

Ajacem potuit Pallas ſubmergere ponto,
Et Dea tunc furias illius ulta viri eſt.
Mutavit Bacchus nautas, egitque profundos;
Impune hic potuit præteriiſſe ſalum?
Nunc vexat fratres, inceditque ignibus urbes,
Illius multo ſanguine dextra madet,
Depopulatque ædes, ſpoliatque altaria donis,
Per populos prædas ille cruentus agit.
At poſtquam huic Superi, poſtquam rapida unda pepercit,
Hunc inimicus aquis torreat ignis edax.

LXIV.

EUGENII TUMULUS.

EUGENII e medio vitam crudelibus armis
Suſtulit ante ſuum Mors * violenta diem:
Quod voluit Fatum, juſſit Natura, probavit
Mens mala; ſic miſer ah, ſed ſine labe perit.

LXV.

CORONATIO TAURI.

QUUM ſolitas linquit ſilvas, mea cura, Lycoris
Et ſol purpureum vergit ad Oceanum,
Verno flore mei præcingit cornua Tauri,
Atque illi e viola mollia ſerta facit.
Ille ſuperba ferens elatâ cornua fronte
Reſpicit, & blando murmure mugit heræ.
Inde greges alios ſupereminet: ipſa Lycoris
Tergore taurino læta ſupervehitur.

LXVI.

* *Truculenta*.

LXVI.

AD VARGNANUM.

VARGNANE optime, cujus ore manat
Sermo dulcior Attico liquore,
Et ſemper faciles fluunt Camænæ
Ten Lomaſia rura detinere
Poſſunt immemorem tui, atque noſtri,
Mehercle rura odioſa & infaceta?
Num tanti decet æſtimare rura?
Sic nobis licet invidere ruri,
Qui dudum miſeri atque deſtituti
Intabeſcimus ob tuum receſſum.
O factum male. namque tu ſolebas
Dulci carmine detinere Sarcam,
Et cantu lepidos movere montes,
Quaſſans buxiferi caput Brioni.
Quare ad nos redeas rogamus omnes,
Cauſarum tonitru rogat Brunellus,
Et fluens Latiæ eloquentiæ fons
Prandinus, bonus ille Julianus,
Et Lepus Pater omnium leporum,
Idem Didymus, & Catullianus
Aliprandus agit, caputque calvum
Ut cucurbita Devius Forentus.
Quod ſi nec preculæ tabellionum,
Nec flectunt lacrimæ piæ parentis,
Te ſaltem moveat jocoſa turba,
Et Muſarum amor. ipſe diis amicus
Arquenſis Patriæ colens receſſus
Nobiſcum bibe, lude, ſcribe, canta.

LXVII.

Digitized by Google

LXVII.

MARII EQUICOLÆ.

Epitaphium.

EXtinxi & traxi moriens vitia omnia mecum
Equicola, heu ſæclum jam ſine labe vale.

LXVIII.

AD AURELIUM, ET MAXIMUM *Ripenſes.*

PErbelle facitis, boni ſodales,
Mutuo facitis bene, ac prudenter:
Laudas Aurelium tuum diſerto
Verſu Maxime, teque laudat ille,
Et te tollit ad aſtra ſublevatque.

LXIX.

ODE.

AD PAULLUM CANDIDUM.

ME non Myrrhina pocula,
Non argentea candidæ
Oblectant avidum Paulle pecuniæ,
Non quæſita maris gemma periculo.
Ad fontes gelidos juvat
Lymphæ, & murmura garrulæ,
Frondoſa ſocios excipere ilice,
Menſa graminea & populeo toro
Factis fictilibus luto.
Illic fagineo ſcypho,

Et

Digitized by Google

Et more agricolæ pauperis perbibens,
Aut Flacci numeros difficiles ſequi
Conor, vel gravis alitem
Aſcrei fidibus ſenis,
Nulla quod ſolvat dies.

LXX.

AD CONFALUM VERONENSEM,

Enigma.

O Veronensium juvenum flos Confale, dum te
Silvarum jactas Conjugem habere Deam,
Ah cave ne in faciem cervi muteris, & ora,
Et velut Actæon cornua fronte geras:
Non vult ad Superos caſtæ deperdere nomen,
Sit licet Inferno nupta Diana Deo.

LXXI.

AD FLAVIAM.

Quem refugis fugio, quem odiſti Flavia, & odi,
Cuique potes poſſum vita adhibere fidem,
Sic poſtquam odiſti me Flavia ſemper, & odi
Me miſerum, potui nec bene velle mihi.

LXXII.

AD LYCORIM.

Hæc nemora, hi colles, atque hæc levis aura ſuſurro,
Quæ nemorum denſis ſibilat in foliis

In-

Digitized by Google

Invitant dulces æſtivo ſidere ſomnos,
Dum tremulo obloquitur garrula lympha ſono.
Integrat hic veteres triſtis Philomena querelas,
Et querulo argutos concinit ore modos,
Purpureos nectunt in ſerta vigentia flores
Najades, hic viridis ſufficit herba torum,
Explicat hic denſos quercu labruſca racemos,
Atque tenax hedera hinc implicat implicat hinc
Illius antiquæ ramos, & brachia nectit:
Huc ades, & mecum pulchra LYCORI * ſede.

LXXIII.

AD AMICUM.

FERS ægre, obliquoque etiam me lumine ſpectas,
Quod vitæ optavi dura ego fila tuæ.
Deſine, mutata eſt ſententia, Amice, recanto
Optoque ſint vitæ mollia fila tuæ.

LXXIV.

AD MAXIMUM RIPENSEM.

MAXIME te retinent ventoſæ litora Ripæ,
Quam Pater inſanis Benacus percutit undis.
Illic (ut fama eſt) doctorum more virorum
Exerces ** Muſas, victuraque carmina cudis,
Aut ſtudio incumbens immenſa volumina Legum
Volvis, ſollicitans numquam fora litibus orba;
Neve ingrata fluant tibi tempora, ſæpius hortum
Excolis, attenuans citros et falce comanteis
Dites Heſperidum ſilvas, atque aurea poma

At

* *Cane.*
** *Leges.*

At nos ſaxoſæ Caprianæ in collibus altis,
Ne nos forte putes pigro torpere veterno,
Mane novo ad primi radios ſurgentis Eoi
Sectamur lepores canibus per devia fidis.

LXXV.

AD PYRRHUM,

Elegia.

PYRRHE, novus vates noſtris ſurrexit in oris
Qui dudum miles ſub tua ſigna fuit,
Aſſiduoque puer dulces meditatur amores,
Callimachi ut ſacrum crediderim iſſe nemus;
Pignora ſeu collo recitat direpta puellæ,
Livida cum impreſſo dente relicta nota eſt,
Seu canit illecebras, nocturnaque prælia amantum,
Sive Cupidinei dulcia furta joci,
Sponte fluunt faciles verſus, & lene jocatur.
Illi Pierides cingite fronde comam;
Et vos Sarciades creſcenti applaudite vati,
Texite & e patriis mollia ſerta roſis.
Hic canit arguti propter buxeta Brioni
Leucothoes mæſtis triſtia fata notis,
Quam Pater exarſit vitreis Benacus ab undis,
Dum repetit Patriæ litora nota ſuæ.
Sæpe illum Trimilo ſcopulo perſenſit ab alto
Ingentem, & animo tollere ad aſtra ſonum,
Sæpe illum nautæ pura ſub nocte canentem
Senſere, & variis ludere carminibus,
Ut vidit nantis tremulas fulgere papillas
Pendere, & ſummis pectora eburnea aquis,
Pu-

Digitized by Google

Pubetenus mergens liquido æquore ſuſpiravit,
Fixit & in ſolam lumina Leucothoem;
Dumque legunt ſociæ pictas in litore conchas,
Et perluciduli dona ferunt lapidis,
Colludens ſaxo ſalientes percutit undas,
Et longe a tuto litore progreditur.
Quo properas maleſana, immites effuge lymphas
Ah nimium ignoto credere ſtulta mari!
Si neſcis dudum, formoſis unda ſepulcrum eſt,
Unda etiam miſeram perdidit Arſinoem.

LXXVI.

AD CALANDRAM.

ODE.

Quid ferox Parthus meditetur, aut quid
Cæſar, aut Rex concipiat Britannus
Anxiâ deſiſte precor, CALANDRA,
Volvere mente.
Si lubet, paullum poſita altiorum
Mole curarum, Cererem canamus
Arva dum luſtrant pueri canentes
Ter bona dicta.
Huc ades noſtri decus orbis, & ſpes
Certa Muſarum, ſoboleſque Mantus,
Clarâ nec triviſſe labrum pudor ſit
Fiſtulâ agreſti.
Hic Canis vitare licet calorem,
Hic ſub umbroſis licet eſculetis
Tute dormire ad fluvii labella
Rauca ſonantis.

LXXVII.

QUERELA VIRGINIS DEIPARÆ.

TALIA clamabat pectus percuſſa pudicum
VIRGO, hominem & mixtum quæ tulit alma Deum:
Heu pietas, ſi qua eſt pietas, mecum omnia plorent
Indignis Domini triſtia ſuppliciis.
Quo raperis, quo nate meæ ſpes unica vitæ,
Cur te devinctum ſæva columna tenet;
Mollia cur duris cæduntur terga flagellis,
Unde ſacro Solimæ Sanguine tingis humum:
Circumſtat te turba ferox, impaſtus ut agnum
Inſontem rabido circuit ore Lupus,
Oraque percutiunt manibus cæleſtia diris,
Expuit in faciem gens truculenta piam.
Heu heu languentem video palleſcere vultum,
Pungere & immeritum ſpinea ſerta caput.
Nate ſitis: tibi fel triſti miſcetur aceto,
Et te ludificant unica noſtra ſalus.
Pectore purpureos video prærumpere rivos,
Tamdem alta affixum te Cruce, nate, mori.
At Matris gladius pertranſit corda profundus,
Tam ſit ut iſte dolor, quam mihi ſummus amor.

LXXVIII.

AD CÆLARINAM

O DEA, quæ Cælo nomen deducis ab alto,
CÆLARINA Deorum inclyta progenies,
Ætatis quantum flos eſt brevis: & cito forma
Labitur, & formoſa omnia prætereunt.

Exer-

Digitized by Google

Exerce virides annos, & carpe juventam,
Et Veneri aſſiduo munere des operam.
Non ne vides veluti cum præterit, & redit æſtas,
Succeditque brevi tempore triſtis hiems,
Qui modo purpureum flores caput oſtendebant
Languiduli paſſim decutiuntur humi?
Non ſemper formæ virides ſervantur honores,
Nec ſemper crines per roſea ora fluunt.
Nec tu jucundos ſemper ſpirabis amores,
Non oculis eadem gratia ſemper erit:
Nunc juvenes, & mille proci tua tecta frequentant,
Et jacet ante tuos Brixia tota pedes:
In foribus citharæ pendent, & ſerta coronant
Limina, dum juvenum plurima rixa ſonat,
Tu tamen ipſa cubas uno contenta marito,
Qui * dudum hiberna eſt frigidior glacie.
† Tecum ego concordes agerem felicius annos,
Eſſes unanimi juncta puella viro.
Dicere tunc poſſes: Hic noſtro dignus amore eſt;
Quid mi cum pingui quid mi cum ſtolido eſt?

LXXIX.

AD ILLUSTRISSIMUM MADRUTIUM.

SI Mater tibi naſcenti dedit ipſa galerum,
Illum, MADRUTI, quis neget eſſe tuum?

* *Et hic.*
† *Pentametrum deſiderabatur in Codice, hinc etiam exametrum nullius ſenſus, & duos ſequentes verſus reliquimus.*

LXXX.

DE VARGNANO.

FLORIBUS ornatum variis, & ſuavibus herbis,
Inſtar apis, conflavit opus VARGNANUS, ut inde
VARGNANI æterno pubeſcat vinea fœtu,
Et niteant tumidi nativa e ſtirpe racemi.

LXXXI.

DE CLESIO CARDINALI.

JUSTITIA atque fides, profuga & prudentia terris,
Quas colerent ſedes conſulvere diu:
Tamdem animo inſedere tuo, CLESI optime Princeps,
Hinc tribus ex iis unio facta tibi eſt.

LXXXII.

DE ADVENTU EJUSDEM.

NON tam læta fuit Partho fugiente Vienna
Barbaricum metuens fida ſubire jugum,
Adventu quantum CLESÎ plebs læta Tridenti eſt,
Pro quo adolet ſacris tot pia tura focis:
Et merito, quoniam redeunte hoc Principe, quicquid
Juſtitiæ eſt, quicquid pacis in orbe redit.

LXXXIII.

IN LAUDATOREM PINTII.

CUM PINTÎ cantas proſa vel carmine laudes
Dixiſti ornate, candide, & appoſite.
PINTIUS exclamat: credo belle omnia dicas,
An vere dicas omnia in ambiguo eſt.

LXXXIV.

Digitized by Google

LXXXIV.

IN LUDUM.

QUIS te, dira lues, infernis extulit oris,
Quis tantum noſtro ſparſit in orbe malum?
De capite orta tuo ſunt ſemina cuncta malorum,
Semina rixarum de capite orta tuo.
Inſeris excrucians ſpinoſas pectore curas,
Non redituri affers temporis interitum:
Virtutum exitium es, letali armata veneno,
Atque ideo Furiis addita quarta comes.
Tu potis es fratres concordes vertere ad arma,
Tu potis antiquas ſolvere amicitias.
Te vitiorum altrix & habendi cæca libido
Cogit in immeritos jurgia ferre Deos.
Ira Deûm, cum ignem raperet de Sole Prometheus,
Hanc mortale dedit contemerare genus.
Idque malum, & febres terris immiſit apertis,
Heu heu quantum audax in mala noſtra fuit!
Sæpe laceſſitus telluri denegat imbres
Juppiter, aut terris fulmina dira quatit.
Sæpe arens tellus nimio ſub Sole fatiſcit
Languida, & incaſſum ſupplicat herba Jovi;
Hinc lolio & ſtipula agricolas eludit inani,
Inde cadunt pecudes, & genus omne virûm.

LXXXV.

IN BAPTISTAM FIÆRAM.

SURRIPUERE tibi librum veſtemque, Fiæra,
Defuncto fures hac ratione puto:
Cum nudus Matre exieris, toga nulla ſepultum;
Cum indoctus fueris, pagina nulla decet.

Digitized by Google

LXXXVI.

AD GALATEAM.

DILECTA O GALATEA, pulchriorque
Roſis purpureis, liguſtro & albo,
Huc ades, vocat ipſe Faunus inter
Condenſas corylos, & eſculeta,
Dum ſervat Genitrix vagas capellas.

LXXXVII.

DE ELEONORA MARTINENGA.

CORPORIS atque animi præſtans virtutibus, orbis
Poſtquam ſublata eſt ELEONORA decus,
Aut tangi invidiâ Superos jam credere fas ſit,
Perdere vel Morti poſſe licere Deas.

LXXXVIII.

Votum Auctoris.

AD D. BERNARDINUM

Feltrenſem Advocatum.

DUM colerem Ticinum ſtudiis & legibus almum,
Hic mea divinâ membra levavit ope,
Quæ conſumpta diu, cruciataque febre jacebant;
Hoc igitur carmen teſtificetur opus.
Pro quibus officiis fateor debere Sacellum,
Et faciam: nunc pro tempore pictus erit.

LXXXIX.

Digitized by Google

LXXXIX.

AD ALPHONSUM,

Marchionem Vaſti.

ODE.

ALPHONSE rarum militiæ decus,
Invicta bello progenies patrum,
Qui nomen æternans Latinum
Parthenopes iteras triumphos,
Quis facta dictis æquiparet tua?
Quis poſſit altum robur, & ingens
Æquare virtutem canendo, aut
Perpetuis celebrare chartis?
Non ſi ille, quicquid concipit in jugo
Phœbus bicorni mente revolveret,
Non ſi Camœnarum Sacerdos
Ex adytis numeros referret
Tot nota terrâ prælia, tot mari
Primo virentis flore puertiæ,
* Regeſque captivos vel ipſo
Cum Duce ſub patruo mereres.

XC.

Epithalamium Illuſtriſſimi

DUCIS MANTUÆ FRANCISCI.

SURGE jam croceo e toro,
Aurato thalamo exiens,
Muſco interlita prata,

* *Nec labe tantilla notaris.*
Omni animi vitio interempto.

Digitized by Google

Et ripas Aganippes
Linque, o frater Amoris,
O hymen, hymenæe, hymen.
Jam jam purpureum caput
Aurora exerit, ac polo
Tam pulchrum revehit diem,
Quam mortalibus uſquam
Læto illuxerit ore,
O hymen, hymenæe, hymen.
Te procedere pallâ
Aurata docet, & roſis
Frontem condecorarier,
Sparge candida lecta
Suave olentibus herbulis,
O hymen, hymenæe, hymen.

XCI.

AD AMICUM.

QUo te dira fames auri inamabilis,
Quo te ſæva rapit ſitis?
Tantum argenti avidum, tamque pecuniæ,
Virtutum immemorem & boni,
Quod ſolum cupiunt qui ſapientiæ
Inſudant animis viri,
Qui ſe ſe Superis efficiunt pares?
Ah ah non ne vides uti
Fratres clara duos Parthenope tegat?
Horum prædia poſſide.

XCII.

Digitized by Google

XCII.

REGIÆ VIRGINI GONSAGÆ

Invitatio.

† FERNANDI Auguſti ſoboles, pulcherrima Manto,
Te vocat, & patrio litore plaudit heræ.
Ipſi te montes, procul hæc te rura ſalutant,
Lætitiâque tuum nomen ad aſtra ferunt.
Ingeminant plauſum valles cávaque antra reſultant,
Quanta parant noſtræ munera Naiades!
Intexunt calathos, quos circumplexus acanthus
* Veſtit, & hos hederæ brachia lenta ligant.
Et texunt niveis redolentia ſerta liguſtris,
Purpureis pingunt lilia mixta roſis:
Inflectensque tibi molles Polyhymnia voces
** Propter aquas Mincî carmina læta canit.
*** Marmirole Paphias ſervat tibi nota columbas,
Poma ſuis pendent roſcida ab arboribus;
Eridanuſque Pater muſcoſo excitus ab antro
Afferet ipſe ſua ſuccina lecta manu.
Benacuſque Pater placidis aſſurgit ab undis
Componens fluctus, & maria alta domat,
Fertque manu laurum ab radice, & quaſſat olivam,
Et firmat felici omine connubium,
Aurato & plenos fundit limone caniſtros,
Et CATHARIM arguta litore voce ſonat.
Addit citria mala, & ſuaves miſcet odores,
Et vos, o Myrthi, carpit, odoriferæ,

Et

† *Ex multis partim obliteratis, partim inceptis verſibus, hos duos ſelegimus.*
* *Flexipedes hederæ.*
** *Per ſylvas paſſim.*
*** *Et Canane.*

Digitized by Google

Et fert nodoſo ramoſa corallia trunco;
    Quæ genitor Nympharum * attulit Oceanus
At Nymphæ alludunt criſpatis leniter undis
    Quas Zephyrus paullatim incitat horrificans,
Sirmio, laſcivisque tibi blanditur ocellis
    Garda, & Veronæ Turris amata tuæ:
Omnes certatim ſtudio venere videndi,
    Et gens effuſa eſt plurima litoribus;
Inclinatque tibi ſe nubifer Apenninus,
    Et quercus cœlo quæ capita alta ferunt.
Huc ades, & formoſa ſatis ne deſpice tecta;
    Rura etiam Pallas, Phœbus & incoluit.
Quin etiam ruri ſuus eſt honor: aſpice ut iſta
    Rura, humileſque etiam Pax colat alma caſas.
Hic Pax aſſidua eſt, hic eſt ſincera voluptas,
    Hic Mars, nec ſomnos æra recurva fugant.
** Pannoniæ exardent bello concivibus urbes,
    Sunt procul a noſtris prælia liminibus:
Bella malum commune nefas, commune virorum,
    Bella virûm, & virtutum omnium amara lues.
Hic umbræ altorum nemorum, & de valle volutus
    Fons gelidus rauco murmure ſaxa ciet:
Hic nitidi Soles, hic indulgentia Cœli,
    Hic triſtes animos gramina læta movent.
*** Expectata veni tenero expectata Marito,
    Qui nunc jucundi tempora veris agit.
Tecum hic formoſus concordes exiget annos,
    Diceris pulchra tu quoque prole parens;
Hic tibi erit caſte turtur tuus, & tua vita,
    Et ſoli dominæ ſerviet uſque tibi,

Pro-

* *Huic dedit.*
** *Exardent bello miſera.*
*** *Adde quod & tenero venis.*

Digitized by Google

Probraque committet cum nullâ turpia mæchâ,
Nam tu formoſa floridulo ore nites.
Semper erit thalamo felix concordia veſtro,
* Rixarumque procul omne genus fugiet:
Utque ulmo vitis gaudet conjuncta marito,
Quæ ſe ſe extollit luxuriatque magis,
Sic felix eris ardenti conjuncta marito,
Veſtra erit ex omni parte probata fides.
Non decet amplius hunc patefactum abſcondere amorem;
Virgo veni, & dudum quod cupis ipſa cape.
Hoc jubet alma Venus, Veneri ne pulchra repugna,
Neu magnæ ſpernas mollia juſſa Deæ.
Connubium ne ſperne iſtud, ne inculta ſeneſcas,
Neu jaceas lecto cælibe frigidula:
Namque huic conjugio magni aſſenſere parentes,
Et Cæſar dextris annuit auſpiciis.

XCIII.

DE ALEXI, VENERE, ET AMORE.

HIPPOLYTEN flet ALEXIS, AMOR flet, flet DEA amorum,
Solus ALEXIS, AMOR ſolus, & ipſa VENUS.
† His æquus dolor eſt, & quiſnam fecerit horum
Majorem jacturam hoc obitu, ambiguum eſt.

XCIV.

* *Juppiter ut rixarum.*
† *Hi duo verſus erant in litura.*

Digitized by Google

CXIV.

DE SARCIO PASTORE.

SARCÆ ad litora fluminis canebat
PASTOR Sarcius adpetente vere,
Dum paſcit niveas ſuas capellas,
Et texit ſalice e levi quaſillum
O pulcherrima Phylli quid moraris?
Cur non huc ades o * venuſta Phylli?
Viden buxifer ut vocat Brionus,
Lymphanuſque caput nitens oliva;
Te pomaria, te vocant ſalicta,
Et noſtri ſine te greges miſelli,
O pulcherrima Phylli, quid moraris?
Jam florent ſiluæ, nemus vireſcit,
Hic carpes violam, & roſas rubentes,
Et texes capiti tuo corollam,
Hic inter corylos, & illiceta
Captabis placidum petulca ſomnum,
Hic unda vitrea pedes lavabis,
O pulcherrima Phylli quid moraris?

XCV.

AD SOLEM,

DE ILLUSTRISSIMO MADRUTIO.

MADRUTIO Paſtore potes quid cernere majus?
Ipſo nil melius cernere, PHOEBE, potes.

XCVI.

* *Decora.*

Digitized by Google

XCVI.

EX FRANCISCO PETRARCHA,

Elegia.

QUUM rapidum vergit cælum, verſuſque cadentem
Præcipitat Phœbus, & fugit alma dies,
Et volat huc ubi gens noſtro contraria cælo
Forſitan expectat læta videre diem,
Triſtis anus procul a patria laribuſque relictis
Accelerat greſſus, & magis atque magis;
Nocte tamen blandâ requie ſolata laborem
Deponit, curas, & mala longa viæ.
Sed quoties ducit mihi lux infauſta, dolorem
Duplicat infelix nox tenebroſa malum.
Quum fuſcæ cedit nocti, & Sol mergitur undis,
Atque altis major montibus umbra cadit,
Robuſtis collum Tauris disjungit arator,
Curvaque ſuſpendit feſſus aratra jugo,
Tunc epulas ſimiles apponit glandibus illi,
Et calidam feſſo præparat uxor aquam.
Sed mihi nulla quies, curſu non aſtra benigno
Læta favent, nox eſt triſtis, iniqua dies.
Ardentes Paſtor radios deſcendere Solis
Quum videt, & gelidus aere veſper adeſt,
Surgit, & umbroſas fagos herbamque relinquit,
Errantemque gregem ſub ſua ſigna vocat;
Deinde refert numerum, & paſtas ipſe capellas,
Et ſolita virga coget oves ſtabulis:
Poſt illum aut ſpelunca tegit, ſeu frondea tecta,
Aut curarum expers ad ſtabula alta cubat.
Sed me ſævus amor veſtigia compulit Urſæ
Felſineæ errando per juga celſa ſequi.

Il-

Digitized by Google

Illa meos ſpernit gemitus, nil carmina curat
Dum fugit, & greſſus fallit iniqua meos.
Cum miſeri nautæ, in * tabulis ſub valle repoſtâ
Proſtrati placido membra ſopore levant,
(Me miſerum) mediis pereo cur naufragus undis?
Cur mea vela mari turbidus Auſter agit?
Omnia quæ immenſo ſpirant animalia mundo
Poſſunt alternâ ſæpe quiete frui:
Nulla tamen noſtro ſuccurrunt grata dolori
Gaudia, ſunt erepta omnia noſtra bona;
Et quoniam rurſus videor renovare dolorem
Veſpere disjunctos cerno redire boves,
Cur ego non itidem vinclis, & amore ſolutus?
Cur me curarum tam grave calcat onus?
Cur molles lacrimis tam ſæpe rigantur ocelli?
Cur tam dura meo pectore verſat Amor?
Vos igitur nondum experti crudelia Amoris
Vulnera, ſi ſapitis, his procul, eſte malis.
Vos vero, quos una tenet concordia junctos,
Quos lætis oculis aſpicit æquus Amor
Pergite; ego infelix me ſpe, dominâque relictum,
Rupibus his altis præcipitem ejiciam.

CANZONE DEL PETRARCA.

Nella ſtagion, che'l ciel rapido inchina
Verſo Occidente, e che 'l dì noſtro vola
A gente, che di là forſe l'aſpetta;
Veggendoſi in lontan paeſe ſola
La ſtanca vecchierella pellegrina
Raddoppia i paſſi, e più e più s'affretta;
E poi così ſoletta
Al fin di ſua giornata

Tal-

* *Tenebris.*

Digitized by Google

Talora è conſolata
D' alcun breve ripoſo; ov' ella obblia
La noia e'l mal della paſſata via.
Ma laſſo, ogni dolor, che'l dì m' adduce,
Creſce, qualor s' invia
Per partirſi da noi 'l eterna luce.
Come'l Sol volge le'nfiammate rote,
Per dar luogo alla notte; onde diſcende
Dagli altiſſimi monti maggior l' ombra;
L' avaro zappador l' arme riprende;
E con parole e con alpeſtri note
Ogni gravezza del ſuo petto ſgombra:
E poi la menſa ingombra
Di povere vivande,
Simili a quelle ghiande,
Le qua' fuggendo tutto'l mondo onora.
Ma chi vuol, ſi rallegri ad ora ad ora:
Ch' i pur non ebbi ancor non dirò lieta,
Ma riposata un' ora,
Nè per volger di ciel, nè di pianeta.
Quando vede'l paſtor calare i raggi
Del gran pianeta al nido, ov' egli alberga;
E imbrunir le contrade d' Oriente;
Drizzaſi in piedi, e con l' uſata verga,
Laſſando l' erba e le fontane e i faggi.
Move la ſchiera ſua ſoavemente:
Poi lontan dalla gente
O caſetta, o ſpelunca
Di verdi frondi ingiunca:
Ivi ſenza penſier s' adagia e dorme.
Ahi crudo Amor, ma tu allor più m' informe
A ſeguir d' una fera, che mi ſtrugge.
La voce e i paſſi e l' orme;
E lei non ſtringi, che s' appiatta e fugge.

E i

Digitized by Google

E i naviganti in qualche chiuſa valle
Gettan le membra, poi che 'l Sol s' aſconde,
Sul duro legno, e ſotto l' aſpre gonne.
Ma io; perchè s' attuffi in mezzo l' onde,
E laſſi Iſpagna dietro alle ſue ſpalle,
E Granata e Marrocco e le Colonne;
E gli uomini e le donne
E 'l mondo e gli animali
Acquetino i lor mali;
Fine non pongo al mio oſtinato affanno:
E duolmi, ch' ogni giorno arroge al danno:
Ch' io ſon già pur creſcendo in queſta voglia
Ben preſſo al decim' anno;
Nè poſs' indovinar, chi me ne ſcioglia.
E perchè un poco nel parlar mi sfogo;
Veggio la ſera i buoi tornare ſciolti
Dalle campagne e da' ſolcati colli.
I miei ſoſpiri a me perchè non tolti
Quando che ſia? perchè no 'l gravo giogo?
Perchè dì e notte gli occhi miei ſon molli?
Miſero me, che volli,
Quando primier sì fiſo
Gli tenni nel bel viſo,
Per iſcolpirlo immaginando in parte,
Onde mai nè per forza, nè per arte
Moſſo ſarà; fin ch' i ſia dato in preda
A chi tutto diparte?
Nè ſo ben anco, che di lei mi creda.
Canzon; ſe l' eſſer meco
Dal mattino alla ſera
T' ha fatto di mia ſchiera;
Tu non vorrai moſtrarti in ciaſcun loco:
E d' altrui loda curerai sì poco,
Ch' aſſai ti ſta penſar di poggio in poggio,

Come

Come m' ha concio 'l foco
Di queſta viva pietra, ov' io m' appoggio.

XCVII.

EX EODEM.

AMABO mihi dic puer Cupido,
Quis flavum tibi præbuit metallum
Ut noſtræ faceres comas puellæ,
Atque una aureolos ſuos capillos,
* Et molles quoque colligens pruinas
Utraſque ut faceres genas decentes?
Quis gemmas niveas coraliumque
Indo ex æquore legit, ut pudicum
Os, & denticulos manu magiſtra
Formares? quibus exeunt lepores
Una, & dulcia verba mixta amaris?
Quo Sole hos ** nitidos ſuos ocellos
Duxiſti? Heu nimium malos ocellos,
Qui miris cruciant modis amantes,
Et dant lætitiam, *** & ferum dolorem,
Et vitam ſimul, & necem reportant.

SONETTO DEL PETRARCA

ONde tolſe Amor l' oro, e di qual vena,
Per far due treccie bionde; e 'n quali ſpino
Colſe le roſe, e 'n qual piaggia le brine
Tenere e freſche, e diè lor polſo e lena?
Onde le perle in ch' ei frange, & affrena
Dolci parole oneſte, e pellegrine?

R On-

* *Colligens teneras ſimul pruinas.*
** *Oculos nitentiores.*
*** *Simul.*

Onde tante bellezze, e ſi divine
Di quella fronte, più che 'l ciel ſerena?
Da quali Angeli moſſe, e di qual ſpera
Quel celeſte cantar, che mi disface,
Sì che m' avanza homai da disfar poco?
Di qual Sol nacque l' alma luce altera
Di que' begli occhi, ond' i ho guerra e pace,
Che mi cuocono 'l cuore in ghiaccio e n' foco?

XCVIII.

EX EODEM.

SI non eſt amor hic, ergo quid ſentio? ſed ſi
Eſt amor hic, quæ res eſt nova noſter amor?
Si bona: me miſerum cur ſic male perdit amantem?
Si mala. cur dulci miſcet amara joco.
Ardeo ſi invitus nihil hæc ſuſpiria proſunt,
Sed ſi ſponte uror, unde mihi hæ lacyrmæ?
Dulcis amarities animis verſatur amantum;
Illud idem nobis diſplicet, atque placet.

SONETTO DEL PETRARCA

SE Amor non è che dunque è quel ch' io ſento?
Ma s' egli è Amor; per Dio, che coſa e quale?
Se buona: ond' è l' effetto aſpro mortale?
Se ria: onde è ſi dolce ogni tormento?
S' a mia voglia ardo; ond' è 'l pianto, e 'l lamento?
S' a mal mio grado; il lamentar che vale?
O viva morte, o dilettoſo male
Come puoi tanto in me, s' io non conſento?
Et s' io 'l conſento, a gran torto mi doglio.
Fra sì contrarj venti in frale barca
Mi trovo in alto mar ſenza governo,

Si

Digitized by Google

Sì lieve di ſaver, d'error ſi carca,
Ch'i medeſmo non ſo quel, ch'io mi voglio;
E tremo a mezza ſtate, ardendo il verno.

XCIX.

AD CHRISTOPHORUM MADRUTIUM.

„ ORNASTI egregio me munere optime Princeps, „
„ Muſarum, & Latiæ gloria certa togæ. „
„ Dum mihi das nummum, fateor, nil tale merenti, „
„ Qui mira vultus exprimit arte tuos. „
„ Verum utinam tanto cum munere & illa dediſſes, „
„ Aurea dona tui pectoris, atque animi: „
„ His etenim Regum ſuperarem ſceptra, beatis „
„ Parque forem, ſi fas dicere, Cœlitibus. „

Digitized by Google

NUMERI

EX MANTUANA EDITIONE

I.

AD MANTO,

Ut doceat hoſpitium

CORNELII AGRIPPÆ.

MANTO dic rogo per Deos Deaſque,
Qua CORNELIUS in domo hoſpitatur?
Quis patrem ſovet eruditionum?
Nam, ſi non mihi falſa nuntiantur,
Apud hunc fore Cæſarem ſecutum
Accepi, hunc ego geſtio videre.
Proh quanta (Deus) oſculatione,
Quanto illum excipiam joco, atque riſu!
CORNELÎ alloquio fruar beato,
CORNELÎ aureolos legam libellos
Confectos per iter laborioſum,
Dum viam vorat eſſedo volante.
Nam ſemper meditatur ille quicquam
Digno plus uno manere ſæclo.
Quare dic rogo benigna Manto
Contubernia candidi Poetæ.
Quamprimum ſciero, repente ad illum
Parthica citior fuga advolabo.

II.

Digitized by Google

II.

DE LACRIMIS AMANTUM.

ALTERNAS lacrimas, & mutua gaudia amantes
 Veſtra referre libet: quis tacuiſſe queat?
Quis tacuiſſe queat gemitus dulceſve querelas,
 Veſtrum alter longas dum parat ire vias?
Vidi ego vos arctis pariter pendere lacertis,
 Et trahere in longas verba proterva moras;
Vidi ego anhelantes linguis certare triſulcis,
 Et fugientem alterno excipere ore animam.
Oſcula quis numeret toties iterata labellis?
 Quanta fuit veſtris lætitia in lacrimis?
Ut fons proſiliens muſcoſo vertice ſaxi
 Nulli interceptus mollia prata rigat,
Labitur, & fugiens tremulas furtivus in herbas
 Vicino ubertim flumine miſcet aquam:
Sic lacrimæ, miſtæque genis, oculiſque fluebant
 Amborum, atque ſinus alter in alterius.
† Felices lacrimæ, dulci quas tinxit amaro
 Alma Venus lætæ conxia triſtitiæ.
Carmine vos ſemper noſtro ventura loquentur
 Sæcula, nec rarum fama tacebit opus.

III.

DE FEBRE.

NON eſt iſte calor febriculoſus,
 Quo me cernitis acriter peruri,
 Eſt vis fervida, vis vemens Amoris,
 Quæ depaſcitur oſſa, quæ medullas,

R 3 Quæ

† *Duo carmina rejecimus.*

Quæ cor depopulatur, humidumque
Nativum mihi perbibit maligna.
Non iccirco tamen puer vocato
Infames medicos male ominatos,
Sed jube ut veniat mea Ipſitylla,
Quæ apportet mihi mille baſiorum
Mellitis labiis, & ore hiulco:
Hæc noſtra medicina ſit caloris.

IV.

DE TOTO MUTINENSE AD HOSPITEM.

Hospes inauditum factum accipe: me mea nuper
Eternum ut liceat vivere perdit hera;
Ore mihi proprio laqueum mandavit, ut ambos
Nomine perpetuo ſæcla futura canant.
Scilicet extremum de me feciſſe periclum,
Et raram voluit morte probaſſe fidem;
Adde quod eſt noſtros tandem miſerata dolores,
Quid miſeris leto gratius eſſe poteſt?
Sic tali æternum reddit me funere, ſeque
Oſtendit ſola ſævitia eſſe piam.

V.

MARTINALIA CELEBRAT.

Martinalia ſunt: puer diotas,
Spumanteſque ſcyphos mero Lyæo
Affer, nec jugula vetus phalernum
Infeſtis Bromio maliſque lymphis.
Lymphæ abſcedite, abite curæ
Parthos quærite, pervolate ad Indos,
Curas nec locus hic, dieſve poſcunt.

So-

Digitized by Google

Sonent vocibus atria ebriorum.
Jam Morus riget, æſtuat Boſellus,
Convolvens oculos tremit Carinus,
Et circum omnia feruntur illis.
Ut ſe proluit, utque fundo ab imo
Cratera impiger hauſit ore hiulco
Hermes delitiæ mei Severi,
Et Laureus Stephanus Colonienſis?
Sex immania vaſa gurgitavit.
Pro dulci Lepida ſua Nearchus
Et pro litterulis ſuæ Fabullæ
Septem pocula candidus Trophinus!
Ludatur pariter, ſimul bibatur,
Colluſor meus adſit & vocatus
Compranſor, madeant mero miniſtri.
† Franciſcus vomat, & ſuo cachinno
Hunc derideat ebrius Carinus,
Nec dormire queat ſuam Bithynus
Inſanus crapulam; huic liget Lyæus
Linguam, atque ille loqui volens oberret.
Nos vero adveniente nocte opaca
Fuſi per tabulata dormiamus;
Pars noſtrum in tabulis ſepulta vino
Profundum capiat ſimul ſoporem,
Ad noctem quoque tertiam recumbat;
Nec quiſquam excitet ebrios ſodales,
Ut cum illuxerit illa, neſciamus
Quæ nos ebria turba fecerimus,
Heſterni immemores joci atque vini. †

† *Verſiculos octo rejecimus.*
† *Et tres hoc loco in finem.*

VI.

Jambus.

IN JANUM TORTULUM.

INEPTE, & execrate JANE TORTULE
Quis tam benignus atque mitis ingenî eſt
Ut poſſit inſolentiam tuam pati?
Quis tam modeſtus ut moleſtiam hanc ferat?
Et verba tincta felle, mixta toxico?
Inepte JANE, moſtruoſe homuncio,
Amabo Brixiana bellua inſolens
(Locutione ut eloquar ſodalium)
Quæ te tulere ſilüæ reconditæ,
Quæ te tulere montium cacumina?
Nam patres tuliſſe nec bonos putem,
Cum ſis ſuperbus, arrogans, & helluo,
Quæ nutriere te feræ, an vorax lupa,
Informis urſa fovit horrido ſinu?
(Proh Dii!) quod invenuſtum inelegans caput,
Quæ membra helluoſa (magne Juppiter!)
Quæ labra, mulæ quæ voraginem ferunt
Mejentis, unde peſtilens flat halitus.
Quis vultus iſte gentium omnium ſtupor?
Quis hæc videndo nauſeam coerceat:
Sæcula infaceta, quid fovetis hanc luem?
Eon' Latina, Greca ſic doces modo?
Ea eſt magiſter efficax ſcientia?
Taces, nec ullus inficit genas pudor?
Rubor nec ullus conſcientia arguit?
Ten' ille magnus erudivit Hercules
Spes certa Phæbi, & ille flos Bianoris?
Ten' erudivit optimus Calepius?

Has

Digitized by Google

Has imbuere literas Britannici?
Vides miſelle quo regurgites freto?
Quod te ſuper & imminens periculum;
Quæ te manet ruina, qualis exitus?
Ut expiabis hæc neſanda crimina,
Ut hanc ſceleſtus igne dilues notam?
Abi hinc proterve, neu meam inquines domum.
Auſer cacata ſcripta peſtilentia,
Libros male ominatos tolle peſſumos,
Venena tolle lecta, tolle ſcrinia
Jacere digna ſub palude concava;
Pete impudice ad ultimi maris ſinum.
Vola profane ad occidentis Inſulas,
Siticuloſam ſolve, ſolve in Africam,
Abi execrate, monſtruoſe homuncio.

VII.

AD LYDIAM BONONIENSEM.

LYDIA me quoniam crudeli is perditum amore
Tartareos tecum cogar adire lacus,
Nec proprii me illic adfliget cura doloris,
Sed te tam infauſtum conquerar iſſe locum.
Hic dum paſcam oculos, in te dum fixa tenebo
Lumina, nulla mihi eſt pæna futura gravis.
Unum hoc ſupplicium eſt æterna in nocte timendum,
Quum invitos cogar claudere vita oculos.

VIII.

INDULTUM VENERIS ARCHIO.

ALMA VENUS Regina Paphi, Regina Amathunti
Et Dea frondoſum, quæ tenes Idalium,
Lit-

Litoreæ Domina Anconæ, Maris edita ſpuma,
Ipſa eadem genitrix maxima Romulidum,
His te muneribus decoro, grataque papyro,
Archi, nec ingratæ ſit mihi inuſta nota.
Unica & in noſtram vetus obſervantia gentem,
Nec non longa tui tempora ſervitii;
Et tua jam quartum bene mi ſpectata per annum
Integra, & ex omni parte probata fides,
Pene ſuo a nobis expoſcere jure videntur,
Ut tibi dem meritæ præmia militiæ.
Et ſi quid fore jucundum foreve utile quicquid
Senſero, ſim largâ læta datura manu.
Utque tuis meritis, & juſta, & digna rependam
Julia amata tibi, Julia munus erit.
Pro qua ardere dies, noctesque haud mollia ceſſant
Pectora, vel flammas evomere uſque novas.
Non ſecus ac Siculis Veſuvius æſtuat oris,
Non ſecus Ætnæis rupibus ignis hiat.
Nunc cape mercedem ardoris fructuſque laborum,
Inque tuum veniat Julia amata torum,
Quæ merito tibi debetur, quæ pertinet ad te,
Qui tuleris quicquid durum in amore pati eſt.
Hanc igitur tibi habe felix, potiare cupita,
Hanc voti compos in tua jura voca.
† Indultum hoc vobis, licet hoc impune licere,
Dum metat extremum Parca ſevera diem.
Præterea addentes, ne quis tentare vel auſit
Hanc pretio, aut blandâ ſollicitare prece,
Qui ſecus, ac jubeo male prudens egerit, illum
Ludat laſcivo juncta puella viro.
Illi ſint inimicitiæ, rixæque perennes,
Meque illi infeſtam ſentiat eſſe Deam.

IX.

† *Quatuor verſus rejecimus.*

Digitized by Google

IX.

IN ACHILLEM BOCCHIUM.

QUo fugis, o Bocchi, vicini litora Rheni?
Non te ſervabunt ſilüa, nec alta coma.
Nil tutum eſt (mihi crede) tibi, civilibus armis
Dum trepidant alii, te æra aliena fugant.

X.

DE DUOBUS AMANTIBUS INTERFECTIS.

UNa manus vos, una dies, eadem abſtulit hora;
Unus item tumulus corpora juncta tegit.
At non ſæva manus potuit, neque perdere Parca
Concordes ſtabili junctæ in amore animæ;
Nam vos implicitos, & nexos brachia collo
Errantes tacita cernere nocte datur.
Inditium immortale animis præbetis amantes,
Quodque etiam verus morte perennat amor.

XI.

IN GALLUM.

GAlle vides ut te circumſtet Martius horror,
Quo volites tutus non locus ullus adeſt.
Si terris fugies, ſunt hoſtis ſigna Britanni,
Si pelago, Hiſpanus nauta ſecat maria.
Aera ſi carpes, volucrum regina fugabit,
Anguis hiat, Stygios ſi cupis ire lacus.
Si Cælum, ingreſſum Cæli Petrus ipſe negabit,
Nam veteris cantus ſtat memor uſque tui.

Gal-

Digitized by Google

GALLE igitur te ſubde Aquilæ, que parcere promta eſt;
Tunc tibi parta ſalus, tunc tibi parta quies.

XII.

IN ALCONEM BONONIENSEM.

PHILOSOPHUM Plato te negat hac ratione, quod ALCON
Communem nulli rem ſinis eſſe tuam.
Uxorem quod communem ſinis omnibus eſſe,
Hac Plato Philoſophum te ratione putat.

AD BENED. CURTIUM.

Nuptiæ, Helleo, Vicecom.

QUAM timui CURTINE dum inter pocula, & inter,
Convivas ſedeo, ſaxeus efficerer:
Quam timui ne dum Ticini numina cerno,
Semianimis medio litore conciderem.
Namque ſteti ut procul afflatus quis fulminis igne
Ut trahit attonitam pectore anhelo animam.
Quum modo purpureus roſeo color ore ruberet,
Et modo luteolis pallidior violis.
Sæpe hanc mirabar jactantem incendia Nympham,
Sæpe illam, atque aliam, ſepe aliam, atque aliam.
Mirabar vultus nitidos, & eburnea colla,
Pectoraque intactâ candidiora nive.
Illa ſedet ſociæ in gremio, & meditatur amores,
Suſcitat hæc veteres, concipit illa novas.
Pars hilares agitat per mollia prata choreas,
Pars juvenum intexit tempora flore novo.
Nauta procelloſi jactatus turbine Ponti,
Iratum gaudet ſe ſuperaſſe ſalum;
Et puppem quaſſatam undis de more coronat,
Perſolvens ſalſis munera Numinibus;

Tam

Digitized by Google

Tam gratum eſt ignem non exarſiſſe medullis,
Atque illinc ſalvum me retuliſſe pedem.
Hinc mihi pertentant invictum gaudia pectus,
Quæ cogor numeris explicuiſſe meis.
Nec potui tibi, non jucundum mittere carmen;
Et dare parva tibi maxima quum nequeam.
Quod me Dii bene ament, ita me fortunet Apollo;
Et faciat quæ opto ſingula perficere.
Ut dicam ex animo fortunatiſſime Curti,
Omnia ſincerus quæ mihi dictat amor.
Helleonora mihi ante omnes pulcherrima viſa eſt;
Criſpabat ſparſam cui levis aura comam;
Quacumque illa oculos torquet, vibrabat amores
(Illi nam læta fronte ſedebat Amor),
Quacumque illa movet greſſus, ſpirabat odores,
Quicquid mittit Arabs, quicquid & Aſſyrius.
Hanc flamma undanti ſtipabat veſte Cupido,
Lambebat mediam flammea tæda togam.
Aurea honorato fulgebat vertice myrtus;
Quam Venus in cultum detulerat thalamum.
Pulchra verecundo faciem ſuffuſa colore,
Saltabat crocea molliter in ſolea.
Pro qua ut communes exercerentur amores,
Cœna datur luxu plurima regifico.
Conveniunt proceres magni Europæque, Aſiæque,
Pronuba adeſt Juno maxima Cœlicolum.
Hinc illâ dignum, & dignum illa, & regium adepta eſt
Pollicitum cœli munere conjugium.
Huic dulcis conjux primo ſub flore juventæ,
Emeruit zonam ſolvere virgineam.
Optato junxit felix Cytharea cubili
Æternum unanimi corpora juncta fide.
Ardet uterque pari flamma, ut Trinacria rupes,
Aut levia Ætnæis ſaxa peruſta jugis.

Dul-

Dulcia mellitis decerpunt oſcula labris,
Ut ſolet ardenti juncta columba mari.
Cor vocat illa, vocat vitam, vocat ille levamen,
Liliolum hęc,lucem hic,hęc animum,hic animam.
Illa Dea eſt cujus (modo ſit mihi vita ſuperſtes)
Egregium in ſolo nomine opus faciam.
Nomine quo (faveant auſis modo numina magnis)
Carminibus longas ordiar Iliadas.
Prætereo reliquas formoſo corpore Nymphas,
Ornavit propria quas Amor ipſe manu.
Quæ tempeſtates oculis avertere poſſent,
Et Jovis irati ponere tela manu.
Has inter timui ne ſenſus pectore abírent,
Neu mediis fibris férveret ignis edax.
Tunc dixi: Venus alma fave, ſi ſæpe columbam
Torquatam, & myrtos ad tua templa tuli.
Audiit: hinc prima tonſam lanugine barbam
Libo illi, tanti haud immemor officii,
Quam colere, & niveis manibus mulcere Philena,
Et pexam multo tingere odore ſolet.
Ut Veneris teſtetur opus hoc carmen habebit
Æde ſacra ut ſcripta fulgeat in tabula:
Archius ereptus Nympharum ex igne propinquo,
Servatuſque tui numinis auxilio,
Dum Ticinum colit, & ſtudiis, & amoribus aptum,
Hunc veris florem dat tibi Diva ſui.

XIV.

DE JOVE ET VIOLANTE

Juppiter incaluit Violantidis igne Valentæ:
Auriferam quondam ſic ſimulavit aquam.
Convertit nunc ſe in fulmen, deſcendit, & inde
Illius hiberno eſt tempore tacta domus.

ADNO-

Digitized by Google

ADNOTATIONES
IN LIBRUM QUARTUM.

II. ANno 1546. omne Benacenſe agrum a Germanis depopulatum eſt, & bellum undique, & fames, & peſtis. Mantua autem ſub Duce Federico dulci pacis otio fruebatur, eique gratulatur Poeta.

VI. *Joannes Cotta* elegantiſſimus Poeta Veronenſis, & in oppido *Ligniaci* natus, vigeſimum octavum annum agens, dum Romam pergeret, peſtilenti febre ad *Viterbium* occubuit. Ejus carmina a doctiſſimis *Vulpiis* primum edita, cum *Fracaſtorio*, *Bonfadio*, aliiſque ſola habemus in editione, cui præſtitit *Coloniæ Venetorum Vincentius Benini*, de ſua eleganti Syphyllidis verſione laudatiſſimus. *Cottam* laudat Jovius in elogiis.

XXVI. *Stenicum*, *Stenigo*, oppidum in Judicaria, quod *Stonos Plinii* Euganeorum caput doctiſſimus *Tartarottus eſſe* ſuſpicat, faventibus *Arduino* & *Pincio*. *Maffeius* noſter, *Octavii Roſſi*, & *Jovitæ Ravizza* auctoritatem ſecutus, *Stonos Plinii* Valli Sabienſi ubi nunc *Viſtone*, & Brixienſi agro concedit; ſed negat *Can. Gagliardi*. *Cluverius*, *Baudrandus*, aliique *Storo* pagum prope fontes Cluſii amnis affirmant. *Stonos* populos Epitomiſta Livii a Quint. Marcio Conſule expugnatos tradit, quos *Stenos*, mutata littera Faſti Triumphales apud *Gruterum* vocant. *Cellarius* vero perperam in Liguribus cenſet.

XXVIII. *Petrus Bembo* hanc Brixiæ calamitatem ad annum 1512. ita deſcribit. „ Prælium a ſecunda diei „ hora uſque ad veſperam protractum, urbs magna „ ex parte direpta, Matresfamilias & puellæ ſuis in „ domibus ante parentum, & maritorum ora, quos „ in vincula hoſtes conjecerant, paſſim violatæ, „ virgines ſacræ e templis atque aris & Divorum

„ ima-

Digitized by Google

„ imaginibus, quas amplexabantur abſtractæ ad libi-
„ dinemque abductæ. „

